IACOBI PAMELII ARCHIDIACONI AVDOMARENSIS,

De Religionibus diuersis non admittendis in vno aliquo vnius Regni, Monarchię, Prouincię, Ditionis, Reipublicæ, aut Ciuitatis loco,

Ad Ordines Belgij Relatio.

ANTVERPIAE,
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij.
M. D. LXXXIX.

ILLVSTRISSIMO, OPTIMO, FELICI, PACIFERO, Fortissimoque Alexandro Farnesio, Parmæ ac Placentiæ Principi, Belgij Gubernatori, Belliqúe Duci, Domino suo obseruandissimo.

QVum anno abhinc octauo, quæ tunc Gandaui inter reliquos Ordines Belgij & Status Hollandiæ & Zelandiæ inita fuit pacificatio, post ipsum statim exordium, inter cætera contineret, in cõuentu proximo Ordinum Belgij rebus pacatioribus cõuocatos iri Ordines omnes totius Belgij, in quo conuentu tractaretur de Religionum diuersarum in Hollandia ac Zelandia admittenda nec ne libertate

aut tolerantia: Rem eam, vti reuera est, maximi momenti, ex qua Reip. salus aut exitium dependere videretur, penitus considerantes, Reuerēdissimi Domini, piæ memoriæ Martinus Rythouius Iprēsis, &, qui adhuc supereſt, Remigius Driutius Brugēsis, Episcopi, iudicarant expedire, vti adornaretur Relatio, quæ, quando in vnū cōuenirent Ordines, illis proponi posſit; qua doceretur nō esſe admittendas in vna Repub. diuersas religiones. Ad quod, quum grauioribus iiſq; periculo proximis interpellarentur negotijs, me (quantumuis noſtris in Tertullianū, quæ nuper Deo auſpice ſunt editæ, elucubrationibus occupatiſsimum) requiſiere, in me eam ſuſcipere non grauarer prouinciam, potius arbitrati opus illud tantiſper inter-

intermittere, & Reip. ſalutem priuatis ſtudiis anteponere; præſertim cùm me ſcirent dictæ pacificationi, ob diuerſam meã de nec tantilla libertate Religionum admittenda ſententiam, ſubſcribere noluiſſe. Ego itaque in eam rem totus incumbens, tantum non ad vmbilicum opuſculũ perduxeram, quum iam motus ciuiles, dictæ pacificationis ruptis fœderibus, recrudeſcerent; qui, vt tum tempori inſeruiendum fuit, non paſſi ſunt fœtũ hunc noſtrum in lucem exire: numquam tamẽ, quantumuis etiam voluntarius Religionis cauſa ad ſexenniũ patria Brugenſi exul, boniſq; orbatus omnibus, animũ deſpondi, quin aliquando poſt tenebras lux oriretur quæ partum eniti permitteret. Nec, laus Deo Opt. Max. me ſpes fefellit,

quum tuis, Illustrißime Princeps, auſpicijs auſpicatißimis, nõ Brugæ modò, ſed totæ penè Flandriæ, & Brabantiæ pars nõ exigua, iam Deo Regíque Hiſpaniarum Catholico legittimo ſuo Domino reconciliata, ad officium redierit. Nunc itaque vbi fœtum relambendo perfeci, abſoluto iam noſtro Tertulliano maius otiũ nactus; tametſi quidam differendum adhuc ſuaderẽt, plerique exiſtimarũt non poſſe magis opportuno quàm hoc publicari tempore, dum fortaſſe cõſultandum erit propediem (vti in Domino confidimus) quibus conditionibus in gratiã recipi poſſint Antuerpienſes cum ſuis confiniis, aliæq; adhuc rebellãtes Prouinciæ. Non quòd ego homo priuatus ſus Mineruã, ſicuti eſt in prouerbio; ſed vti optimam Regis noſtri,

nostri, tuaq; Celsitudinis voluntatem, qua ne iota quidē transuersum è maiorum suorum religione Catholica recedi volunt, iustissimis rationibus niti palam fiat. Quo, inquam, animos addam, nulla vt admittantur (sicuti hactenus rectè in fœderibus omnibus obseruauit Illustriss. Celsit. vestra) vllo vspiam in loco Regiæ Ditionis, Religionis contrariæ exercitia; à quo si in dicta pacificatione recessum non fuisset, non in eas incidissent calamitates nostra miserrima Belgij Resp. Verùm consolatur nos tum Dei, qui nos suæ oculis misericordiæ cœpit respicere, experta benignitas; tū suæ Maiestatis Catholicæ innata clementia; tum denique vestræ Illustrissimæ Celsitudinis fortitudo, pacifera prosperitas, & indefessa noctu

diúque vigilantia; vsq; adeò vt Deus videatur velle toti orbi Christiano ob oculos ponere, electum te à Deo Principem, per quem, sicuti olim per Naaman Syriæ, ita nunc Belgio salutem præstare velit ipse exercituũ Dominus. Quid dicam (vti reliqua fortitudinis Heroicæ præteream insignia in recuperandis Tornaco, Aldenarda, Ipris, Brugis, Gandauo, Bruxella, Mechlinia) de nouo hoc noui operis supra naturã miraculo, quo illud vastum maris fretum, quo Antuerpiam Zelandia iter sese pandit, in arctum ita reduxit, imo iam concluſit (exẽplo omnibus seculis inaudito) Illustriss. V. Celſ. industria, vti nullus ad annonæ aut militiæ subsidia posthac accessus pateat? Olim celebratur qui Isthmum cõcluſit sua nauium classe

Xerxes

Xerxes Imperator: sed Themistocles Atheniensium fortissimi Ducis paulo pòst stratagemate circumuĕtus, victoriam cecinit ante triumphum. Non ignotum etiam orbi opus illud Seueri Romani inuictissimi Cæsaris, quo (Beda teste) vallum crebris turribus communitum in Britannia (quam nunc Angliam vocamus) per centum milia passuum de mari ad mare perduxit, vt partem Prouinciæ grauissimis prælijs iam circũseptam, à cæteris securiorĕ faceret: sed paulo pòst mœrore quã morbo potiùs Eboraci exstinctus vitam finiuit. At tua Illustriss. Cels. nũquam ab opere semel cœpto se passa deduci, iam tandĕ magno Catholicorũ omniũ gaudio, in eas angustias Antuerpiam cõiecit, vt nulla illis spes cõmeatus sit reliqua,

atque adeò propediem, Deo fauente, vnà cum Brabantia reliquijs sese cogatur dedere, nisi malit famem illam experiri Hierosolymitanam, cuius vel meminisse horret animus.

Verùm Deus meliora, qui dabit his quoque finem. Ceterùm vti Illustriss. V. Celsitudini opusculum hoc nuncuparem, vna atque altera occurrit caussa: prior quidem, eáque præcipua, quòd tota hac restituendæ Religionis Catholicæ per Belgium spes & cura in eadē V. Celsit. recumbat; tum quòd non modò publico, sed & priuato nomine me eidē Illustriss. V. Celsit. fatear quàm deuinctissimum, vt cui tanquā Mœcenati acceptam potissimùm ferre debeam nouam hanc Archidiaconatus mei dignitatem in hoc exilio nostro. Quod restat, ne hic sim pro-

prolixior, totius libelli capitum argumenta huic epistolæ subijcere visum fuit. Hoc vnũ obnixè precor, vti æqui bonique consulat hæc lucubrationum ramenta, quanquã quasi postliminio in lucem edita, eáque aduersus fidei Catholicæ hostes perduellesque omnes suo patrocinio Illustriß. V. Celsit. tueatur, méque in clientum suorum numero describi patiatur.

Deus Opt. Max. Illustrißimam Celsitudinem vestrã, Princeps Illustrißime, optime, felix, & Dux fortißime, diu Belgio nostro afflictißimo seruet incolumem. Audomaropoli, Kalendis Martijs. M. D. LXXXV.

Deditissimus in Christo seruus

Jacobus Pamelius.

ARGVMENTA CAPITVM TOTIVS LIBRI.

1. *Quòd non poßint non inter ſe perpetuò diſſidere diuerſæ Religiones.*
2. *Quòd ſi inter ſe commiſceantur duæ, plus ſit periculi à falſæ Religionis ſectatoribus, quàm è contrario.*
3. *Si conſtantiam ſeruent Ciuitatis Dei filij, perpetuam ab alijs perſecutionem pati.*
4. *Proinde rectè interdictam à Deo communionem cum idololatris.*
5. *Quòd puniti fuerint qui idololatriam vel in vno ſuæ ditionis loco permiſerunt.*
6. *Eandẽ eſſe ſectarũ rationẽ quæ idololatriæ.*
7. *Quòd etiam cum hæreticis communicatio ſcripturis vtriuſq; Teſtamenti interdicta ſit.*
8. *Quòd etiam Canonibus & Patrum ſcriptis prohibita ſit communio cum hæreticis.*
9. *Exemplis quoque veteris hiſtoriæ idipſum comprobari.*
10. *Neque Ethnicos voluiſſe permittere Religionis priſtinæ innouationem.*
11. *Propterea ortas Chriſtianorum primas perſecutiones.*
12. *Quòd adeò etiã ſectis ethnici illi Imperatores licentiam permiſerint, vt citiùs religio Chriſtiana diſſiparetur.*

13. *Quòd*

13. *Quòd eandem ob causam quæ ethnicos monit, hæretici & apostatæ Imperatores sectis licentiam dederint, vt nempe ita interiret religio Catholica.*

14. *Quòd è contrario Christiani Imperatores idololatriam eliminauerint.*

15. *Quòd sectis etiam libertatem ademerint Constantinus, eiúsque filij, ac Valentinianus, Christiani Imperatores, immò & ante eos Aurelianus quantumuis ethnicus.*

16. *Quòd Gratianus quoque, Valentinianus secũdus, ac Theodosius Magnus, Imperatores, edictis hæreticos compescuerint.*

17. *Quòd patrũ Theodosij vestigia sint secuti Arcadius & Honorius eius filij, ac Constantius ipsius gener, Cæsares.*

18. *Quòd filij eorundem, Arcadij Theodosius, ac Constantij Valentinianus tertius similes leges promulgarint.*

19. *Quòd legibus etiam hæreses cõpescuerint Martianus, Leo 1. Iustinus vterq;, Iustinianus & Cõstantinus Pogonatus, Imperatores.*

20. *Quòd exteri etiam Principes hæreticos in suadstione persecuti sint.*

21. *Quòd concors sit etiã veterũ Patrũ sentẽtia, licentiã hæreticis nõ esse permittendam.*

22. *Quòd pleræque Imperatorum leges ad Ecclesiæ postulationem sint promulgatæ.*

23. *Quòd*

23. Quòd vbi conniuere cœperũt Imperatores, graniter autincrepati, aut saltẽ admoniti sint à sanctis Episcopis, etiã ab ipso sancto Athanasio, quãtumuis de illo aly aliud sentiunt.

24. Quod nõ obstet nostro instituto, si qui Catholici Imperatores aut seductione, aut metu, aut nimia indulgentia ad tempus licentiam sectis cõcesserint, quia postea eos pœnituerit.

25. Quòd etiam Dinos, Gregorium Nazianzenum in Oriente, Augustinum in Africa, & Ioannẽ Pontificẽ, nomine primũ, in Occidente, suæ lenitatis in hæreticos, pœnituerit.

26. Quod proinde si qui reperiantur subinde celebrati Arianorum conuentus extra ciuitates; Imperatorũ (multo nimis summorum Pontificum aut Episcoporum) indulgentiæ id imputandum non veniat, sed potiùs hæreticorum leges contemnentium peruicaciæ.

27. Quòd nec hæretici ipsi vllam à sua diuersam Religionem in suis ditionibus permittere voluerint.

28. Multum denique boni ortum ex legibus Imperatorum aduersus hæreticos.

29. Lernam è contrario malorum consecutam ex sectarum licentia.

30. Quódque punitio diuina inuaserit nõ modò Principes qui licentiam sectis dederũt, sed & Resp. in quibus libertas concessa est.

DE

DE RELIGIONIBVS DIVERSIS NON ADMITTENDIS

in vno aliquo vnius Regni, Monarchiæ, Prouinciæ, Ditionis, Reipublicæ aut Ciuitatis loco, ad Ordines Statuũ Belgij Relatio.

CAPVT I.

Quòd non possint non inter se perpetuò dissidere diuersæ Religiones.

PRæcipua, Patres Conscripti, cur non sint admittendæ plures in vna Monarchia Religiones, ratio illa est, quòd vel Redemptoris nostri Christi testimonio, vt prætereamalia quæ hac de re adferri possint testimonia, Omne regnũ diuisum contra se, desolabitur; & omnis ciuitas vel domus contra se diuisa, non stabit. Causam (vt experientiam rerum magistram omittamus, de qua latiùs postea) alibi recèsset Christus: Nemo enim, inquit, potest duobus dominis seruire, contraria (interprete D. Euthymio) iubentibus. Aut enim vnũ odio habebit, & alterum diliget; aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Quod etsi de diuitiarũ idolo dictum sit, non malè etiã in idololatriæ sectarumq; omnium auctorẽ diabolũ adaptatur, sicuti expressiùs (vel Tertulliano teste) Diuus

Matth. 12. Luc. 11. & 17.

Matth. 6.

Lib. de Spect. c. 26. n. 193

2. Corin. 6 Diuus Apostolus Paulus, Nolite, inquit, iugũ ducere cũ infidelibus. Quę enim participatio iustitiæ cũ iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? quę autẽ cõuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? quis autem consensus templo Dei cum idolis? Propter quod exite de medio eorũ, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis. Econtrario verò, vnà religio & vnà fides, vinculum est & humanæ & Christianæ societatis. Hinc illud eiusdem Apostoli: Soliciti seruare vnitatẽ spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus & vnus spiritus, sicuti vocati estis in vna spe vocationis vestrę. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Vnus Deus & Pater omnium. Vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominũ, in astutia ad circumuentionẽ erroris. Quod non ignorás Hieroboam, vt à familia Dauid separaret decem tribus Israel, metuens ne si in vna eademq; Religione perstiterent, concordes remanerẽt, nouum cultum introduxit. Dixit enim Hieroboam (scriptura teste) Si ascenderit populus iste vt faciat sacrificia in domo Domini in Hierusalem, conuertetur cor populi huius ad dominum suum Roboam Regẽ Iuda, interficientq́ me, & reuertẽtur ad eum. Et excogitato con-

Ephes. 4.

consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltrà ascendere in Hierusalem, ecce dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti, posuitque vnum in Bethel, & alterum in Dan. Hinc pulcrè D. Cyprianus: Nulla so- Epist. 55.
cietas fidei & perfidiæ potest esse. Qui cum Christo nō est, qui aduersarius Christi est, qui vnitati & paci eius inimicus est, nobiscū non potest cohærere. Cui similia videre est apud eundē toto lib. eiusdē huius argumēti de vnitate Ecclesiæ, vbi inter cætera illud adnotatu dignum: Ad pacis præmiū venire nō possunt qui pacem Domini discidij furore ruperunt.

CAPVT II.

Quòd si inter se commisceantur duæ, plus sit periculi à falsæ Religionis Sectatoribus, quàm è contrario.

VT autem quis paradoxum contrarium defendere conetur, constare & perdurare posse Regnum duabus inter se diuisum Religionibus, certè vel pericula deterrere nos debent. Plus enim eo casu imminere periculi seductionis veræ Religionis cultoribus ab aduersarijs quàm è cōtrario, vt externa omittamus, scripturæ exēplis plus satis commonstratur; maximè cùm prudentiores sint, Christo teste, filij seculi filiis lucis. Quid Luc. 16.
enim? Numquid, vbi primùm humani ge-

neris parẽs Eua cum contrariarũ Religionum Architecto Dæmone in ſerpentis effigie cœpit miſcere colloquia, in pręuaricationem ſeducta eſt, & Adamum ſcientem prudentemque, cæco ſui amore, & cum eo totam poſteritatem, in eandem peccati naſſam pertraxit? Ita veriſſimum eſſe demonſtratur Epimenidis illud à D. Paulo citatum: Corrumpunt bonos mores colloquia praua, cui adeò præmiſit & elogium illud, etiam alibi ſæpiſſimè repetitum: Nolite ſeduci. Deinde facta iam permixtione & iniquitate participata, quidam (vt D. Auguſt. verbis vtar) Ciuitatis Dei & terrenæ confuſione, filij Dei filiarum hominum amore capti ſunt, atque vt eis coniugibus fruerentur, in amorem tetrigenæ ciuitatis defluxerũt, deſerta pietate, quam in ſancta ſocietate ſeruabant. Sic poſt diluuium, qui antea etiam ex ſemine Cham (quod credibile eſſe docet idem Auguſt.) cultores Dei fuerunt, vbi ſe coniunxerunt factioni Nembroth, eò dementiæ venerunt, vt cum eo in furorem erumpentes, turrim ædificare cœperint in cœlum, Gygantomachiá quandam (nõ ſecus, D. Eucherio interprete, atque hæretici) in Deum adorſi. Rurſum Thare & Nachor, qui ex progenie Sem ſoli ex Noë poſteris & linguæ primęuæ Hebrææ hæredes

Geneſ 1. 2. Cor 11. 1. Tim. 2.

1. Corint. 15. Roman. 16. Epheſ. 6. Coloſ. 2 2. Theſſal. 2.

Lib. 16. de Ciuit. Dei, cap 9 & 10. Geneſ. 11.

In Gen. lib. 2. cap. 7.

Ibidem.

Ioſ. 24.

&

& veri Dei cultores, dum in Chaldæa idolorũ cultoribus posteris Nembroth permiscerentur; nónne etiam ipsi, Iesu Naue narrante, seruierunt dijs alienis? vsqueadeò profectò vt oportuerit liberare Abrahã de Hur Chaldæorum; vt in domo Tare, sicuti olim familia Noë tempore diluuij aquarum, ita (inquit idem D. Augustin.) in multarũ superstitionum diluuio plantatio custodiretur Ciuitatis Dei. Item generi Loth, quos verisimile est cultores Dei fuisse (neque enim alioqui filias suas illis collocaturus videbatur) nónne consortio Sodomitarum, inter quosnõ sunt reperti decem iusti, ita deprauati sunt, vt cũ illis perire mallent, quàm cum Loth viro iusto egredi ciuitatem? Numquid & Laban auunculus Iacob in Mesopotamia ad idolorũ cultum abreptus est? attestatur id Rachel eius filia; quæ furata legitur idola patris sui; quæ deinde defodit Iacob, ne quis posthac seduceretur, subter terebinthum in valle Sichem. Quid de posteritate Iacob tãto miraculo per Mare rubrum Pharaone submerso traducta? Numquid & ipsa Ægyptiorum societate seducta, tantorũ Dei beneficiorũ mox oblita, in Marath deserti Syn, in hæc verba contra Dñm murmurauit? Vtinã mórtui essemus per manũ Domini in Ægypto, quando sedebamus super ollas carIudith. 5.

Vbi supra c. 12

Gen. 18. & 19

Gen. 31. & 35

Exo. 14 & 15.

Exod. 16.

carnium, & comedebamus panem in ſaturi-
Exod. 17. tate? Deinde in Raphydim in blaſphemiam
hanc prorupit: Eſtne Deus in nobis, an non?
Exod. 32. In idololatriam denique lapſi, vitulum con-
flatilem adorauerunt dicentes: Iſti ſunt Dij
tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.
Immo ita obdurati ſunt in ſua iſta obſtina-
tione, vt de illis conqueratur Dominus per
Pſal. 90. Pſalmiſtam: Quadraginta annis proximus fui
generationi iſti, & dixi: ſemper hi errant cor-
de, ipſi verò non cognouerunt vias meas.
Denique perpetuam quandam ex primo illo
cum Ægyptijs conuictu propenſionē ad ido-
lolatriam illos retinuiſſe, ex cōpluribus tum
hiſtorię tum prophetię veteris Teſtamēti lo-
cis manifeſtum eſt. Nobis quod ſequitur ſuf-
Iudic. 1. 2. 3. 6 ficiet. Quū itaque filij Iſrael defuncto Moyſe
10 13. & 17 ſub Ioſue principatu alijſque Iudicibus terrā
1. Mach. 1. promiſſionis adepti, fœdere cum Gentibus
inito, Chananæos, Heuæos, Hethęos, Amor-
rhęos ac Pherezæos diuerſis in locis, & Iebu-
ſæos in Hierūſalē, habitare in medio ſui per-
mitterēt: mox ab his ſeducti, deos alienos po-
pulorū qui in circuitu habitabant, etiā colue-
rūt. Eodem pertinet quòd ſapientiſſimus ille
3. Reg. 11. Salomō à filia Pharaonis alijſq; vxoribus ido-
2. Eſd 13. lolatris ita peruerſus ſit, vt coluerit Aſtarten,
Eccleſ. 47. Chamos & Moloch, turpiſſima idolorū mon-
ſtra;

stra; cuius exemplo & cæteri Reges & decem tribus Israel, tribus denique Iuda, tandem in idololatriam inciderunt. Denique vnius Iasonis impij & non sacerdotis idololatriam in Hierusalem, cæteri quoque sacerdotes, denique & populus, mox secuti sunt. Eodem postremùm pertinet illud Apostoli: Bonos corrumpunt mores confabulationes pessimæ. Quis enim dubitet (inquit Tertullianus) obliterari quotidie fidem commercio infideli?

Ibid. c. 12. 14 & sequent. ac toto lib. 4 Reg. 2. Mach. 4.

1. Cor. 15.

Lib 2. ad vxor. c. 3. n. 20

CAPVT III.

Si constantiam seruent Ciuitatis Dei filij, perpetuam ab alys persecutionem pati.

QVòd si constantiam seruẽt filij Ciuitatis Dei, vt seduci se non permittant; à filijs terrenæ ciuitatis persecutionẽ pati, ex litteris etiam sacris cõmonstrari potest. A primordio enim (inquit Tertull.) iustitia vim patitur, statim vt coli cœpit Deus, inuidiâ sortita est Religio. Nam primus (vt iterũ verbis D. Augustini vtar) terrenæ Ciuitatis cõditor Cain, fratricida fratrem suum ciuẽ ciuitatis æternę Abel in hac terra peregrinantem, inuidentia victus, occidit. Ita posteri eiusdẽ, non solũ obstaturam, sed quòd reliquos opprimerẽt, Gigantes nominati sunt, & Nembroth à 70. Interpretibus robustus Gigas, venator contra

Aduer. Gnost. cap. 8. n. 13.

Lib 15. de ciuitate Dei. c. 5 Genes. 3.

Genes. 10.

Genes. 10.

Dominum (id est), hominum oppressor, Diuo Augustino interprete) nũcupatur. Loth item, D. Petro teste, iustum, oppressum à nefandorum iniuria, & luxuriosa cõuersatione, Deus eripuit. Aspectu enim & auditu iustus erat habitus apud eos qui animam eius de die in diem iniquis operibus cruciabant. Et, Diuis Hieronymo ac Augustino testibus, domus Thare persecutionẽ passa fuit à Chaldæis, pro vera pietate, qua vnus & verus Deus ab ea colebatur. Vnde & de Hur siue igne Chaldæorũ ereptus Abraham dicitur. E duobus quoque Abrahæ filijs, is qui secundum carnem, Ismahel, persequebatur qui secundum spiritum natus est Isaac; & filiorum Isaac senior Esau persecutus est Iacob fratrem suum. Eodẽ pertinere videtur, quòd Labã idololatra mercedẽ Iacob cultoris Dei immutarit decemvicibus, & quòd de afflictione sui apud eũ Iacob conqueratur. Certè posterorum Iacob filiorũ Israel persecutio in Ægypto, notior est quàm vt pluribus exaggeranda sit. Iudicũ liber persecutionibus populi Israel per Chananæos, Philistẽos aliásque gẽtes circũuicinas idololatras, quas in medio sui habitare permiserãt, totus refertus est. Regum etiam primus num quidnam Philistæorum, Ammonitarum, Moabitarũ, Idumæorum, & Amalechitarum

Lib. 16. de ciu Dei. c 10. *Genes. 19.* *2. Petri 2.*

Quæst. in Oct. Lib. 16. de ciuit Dei. c. 13 & 15.

Gen. 11. & 17 *Gal 4.*

Gen. 21.

Gen. 27.

Exod 1. 2. 3. 5

Iudic 1. 3. 4 & 8. 10. 13.

1. Reg. 4. 11. 13 14. 15. 17 23.

varia

varia aduersus filios Israel bella insidiasque prosequitur? Secundus item Regum & Paralipomenon primus, varijs dictarum gentium immo & Syriorum & Damascenorum persecutionibus scatent, donec per Dauidem quatuor bellis finis est impositus. Iam verò etiam Reges Israel, postquam in Samaria cœperunt Deo seruire & idolis, non semel Prophetas sunt persecuti: & imprimis Iesabel occidit omnes Domini Prophetas, excepto Helia, qui effugit manus eius: de cæterorum Prophetarũ Isaiæ, Hieremiæ, Ezechielis, & quos duodecim Prophetas nuncupãt, cladibus, videatur Epiphanius Libro de Prophetarum vita & interitu: vsqueadeò vt rectè Iudæis improperetur: Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? 2. Reg. 8. 10 & 11. 1. Paral. 11. 18. 19. 4. Reg. 6. 10. 12. 13. 3. Reg. 18. 19. Act. 7.

CAPVT IIII.

Proinde rectè interdictam à Deo communionem cum idololatris.

COmmunionem idololatrarum interdicit scriptura quàm sæpissimè; imprimis eorum qui ex filijs Israel in idololatriam inciderant: Ne fortè, inquit, sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cuius cor auersum est hodie à Domino Deo nostro, vt vadat & seruiat Dijs illarũ gentium, & sit inter Deut. 29.

vos radix germinans fel & amaritudinem. Cumque audierit verba iuramenti huius, benedicat sibi in corde suo dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei: & assumat ebria sitientē, & Dominus nō ignoscat ei, sed tunc quàm maximè furor eius fumet & zelus contra hominē illum, & sedeāt super eū omnia maledicta quæ scripta sunt in hoc volumine, &c. Dicetq; sequens generatio, & filij qui nascētur deinceps, & peregrini qui de lōgè venerint, vidētes plagas terrę illius & infirmitates quibus eā adflixerit Dominus, &c. Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est hæc ira furoris eius immēsa? Et respondebūt, Quia dereliquerūt pactum Domini quod pepigit cum patribus eorū quando eduxit eos de terra Ægypti, & seruierunt dijs alienis, &c. Et eiecit eos de terra in ira & in furore, & in indignatione maxima, proiecitq; in terram alienam, sicut hodie cōprobatur. Cui similia videre est Deuteronomij xiij. quæ prolixitatis gratia omittimus; remittentes Lectorē ad Tertullianū, lib. aduersus Gnost. c. 11. Eodem pertinet quòd propter vnum Achan, qui de anathemate prædam idolis dicatam sibi retinuerat, & sic idololatriæ peccatum incurrerat, non potuit Israel stare ante hostes suos, eosq; fugit, & insuper interminatus est Dominus

Iosue 7.

minus in hæc verba : Nõ ero vltrà vobiſcum, donec conteratis eum qui huius ſceleris reus eſt. Quam iram Domini ita metuerunt filij Iſrael, vt cùm filij Ruben & Gad & dimidia tribus Manaſſe, quorum ſors ceciderat vltra Iordanem, ædificaſſent altare ſuper eius fluuij tumulos, conuenerint omnes in bellum cõtra eos cum hac exprobratione : An parum *Ioſue 22.*
vobis eſt quòd peccaſtis in Beelphegor, & vſque in præſentem diem macula huius ſceleris in vobis permanet, multiq́ue de populo corruerunt? & vos hodie reliquiſtis Dominum, & cras in vniuerſum Iſrael ira Dei deſæuiet. Quòd ſi putatis immundam eſſe terram poſſeſſionis veſtræ, tranſite ad terram in qua tabernaculũ Domini eſt, & habitate inter nos; tantùm vt à Domino & à noſtro conſortio non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei noſtri. Quibus demum ſe excuſantibus quòd dumtaxat in teſtimonium altare illud erexiſſent, ceſſauit populus ab eorũ impugnatione. Neque verò eorum dumtaxat interdixit ſcriptura ſocietatem qui è fratribus ad idololatriam declinauerint, ſed & aliorum in medio eorum habitantiũ, aut vi- *Ioſue 23.*
cinorum. Hoc tantùm, inquit, diligentiſſimè præcauete, vt diligatis Dominum Deum veſtrum. Quòd ſi volueritis gentium harum

quæ inter vos habitant erroribus adhærere, & cum eis miſcere connubia, atque amicitias copulare; iam nunc ſcitote, quòd Dominus Deus veſter non eas deleat ante faciem veſtram, ſed erunt vobis in foueam ac laqueum & offendiculum ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris, donec vos auferat atque diſperdat de terra hac optima quam tradidit vobis. Hinc quòd fœdus defuncto iam Ioſue cum Chananæis feciſſent, Angelus Domini grauiſſimè improperat: Pollicitus ſum (inquit in perſona Dei) vt non facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum. Ita dumtaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & aras eorum euerteretis, & noluiſtis audire vocem meã; cur hoc feciſtis? Quamobrem nolui delere eos à facie veſtra, vt habeatis hoſtes, & dij eorum ſint vobis in ruinam. Immo verò eam ob cauſſam multoties punitos eos conſtat (vel Tertulliano teſte) ex libris Exodi, Numeri, & maiori parte libri Iudicum; præſertim ob matrimonia cũ illis contracta. Quæ adeò cùm ad captiuitatem vſque Babylonicam perduraſſent, Eſdras & Nehemias omnia huiuſcemodi coniugia ſeparárunt. Eodem pertinet quòd Propheta Dei cum alio etſi etiam propheta in Bethel vbi vitulum aureum Hieroboam erexerat, cibum

Iudic. 2.

Tertull lib. aduerſus Gneſt. c. 3. Iudic. 3.

1. Eſdr. 9. 10 Nehem. 9

3 Regum 13.

cibum ſumens, à leone in itinere interfectus eſt. Item quod ad Regem Aſa dicitur: Quia habuiſti fiduciã in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco euaſit Syriæ Regis exercitus de manu tua. Rurſum quod ad Ioſaphat Regem Iuda dixit Propheta: Quia habuiſti, inquiens, fœdus cũ Ochozia, percuſſit Dominus opera tua, contritæque ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis. Item quod homo Dei dixit ad Amaſiam: O Rex, ne egrediatur tecum exercitus Iſrael; non enim eſt Dominus cum Iſrael & cũctis filijs Ephraim: quòd ſi putas in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te Deus faciet ab hoſtibus. Denique ſtatim poſt fœdus initum cũ Romanis, Iudas Machabæus antea victor, victus interijt, neque vmquam poſtea fratribus etiam ſuis ceſſit victoria poſt renouatas cum eis & Spartanis amicitias.

2. Paral. 16.

2. Paral. 20.

2. Paral. 25.

1. Machab 8. 9. 12. 14. 16.

CAPVT V.

Quòd puniti fuerint qui idololatriam vel in vno ſuæ ditionis loco permiſerunt.

PVnitos à Deo qui idololatriam permiſerint cum cultu diuino, vel in vno aut altero ditionis ſuæ loco, multis locis reperire eſt de diuerſis Regibus Iuda. Imprimis huc pertinet, quod imputatur Roboã filio Salomonis in

3. Reg. 14. 15

in peccatum permiſſio idololatriæ in excelſis cum cultu Dei qui fiebat in Hieruſalē, atque adeò quòd excelſa nō abſtulerit, quare & ipſi
2. Paral. 33. & filio eius Abiæ & Aſa nepoti bellum fuerit cum Seſac Rege Ægypti, ac Heroboam &
4 Reg. 18. Baaſa Regibus Iſrael. Rurſum Amaſiæ eadem cauſſa nō ſatis proſperè ſucceſſit bellum cum Rege Iſrael: & Azarias eius filius primùm in peccatum, deinde in lepram incidit: immò & Ioathan id quoque improperatur, & Manaſſe poſt pœnitentiam. At è contrario bene om-
Iſaiæ. 9. nia ſucceſſerunt Ezechiæ & Ioſiæ Regibus, quòd excelſa abſtulerint. Quin & in nouo Teſtamento id improperatur ſub Angeli no-
Apocal. 2. mine Epiſcopo Thyatiræ: Sed habeo aduerſus te pauca, quia permittis mulierē Ieſabel, quæ ſe dicit Propheten, docere & ſeducere ſeruos meos, fornicari & manducare de idolothytis, &c.

CAPVT VI.

Eandem eſſe Sectarum rationē quæ idololatriæ.

PRohibitionē ſocietatis cum idololatris etiam ad ſectarum communionem pertinere, vel inde comprobatur, quòd non modò Patres Eccleſiæ vetuſtiores, ſcripturas ſacras de ſectis interpretentur idololatriā pro-
1. Tim. 4. hibentes: ſed & Apoſtoli, doctrinas dæmoniorum

niorum hæreſes nuncupent,& hæreticos impios,blaſphemos,ac Antichriſtos: quo pertinet etiam adoratio beſtiæ in Apocalypſi. Item illud Petri: Eum qui eos emit Deum negant. Loca Patrũ hîc recenſere longum foret; ſufficiet itaq; adnotaſſe, vt curioſus Lector apud illos requirat. Eleganter profectò inquit Tertullianus: Et ideò neque à Diabolo immiſſa eſſe ſpiritalia nequitiæ, ex quibus etiã hęreſes veniũt, dubitare quis debet; neque ab idololatria diſtare hęreſes: quũ & auctoris & operis ſint eiuſdem cuius & idololatria. Videatur etiam Ireneus l. 1. c. 19. Orig. Homil. 12. ſuper Hieremiam ad illud cap. 16. Si faciet homo ſibi Deos. D. Hieronymus in Prophetarũ cõmentarijs, vbi & hæreticos aureã ſibi ſtatuam facere,& à cadentibus adorari velle ſcribit,& frequẽtiſſimè idololatras hæreticos interpretatur, vtpote qui colant ſinguli diuerſa idola fictionum ſuarum. Certè & D. Athanaſius conſentit,& Lucifer Caralitanus Epiſcopus, dum Arij hæreſim idololatriã vocãt. Pluribus ſuperſedeo, ne ſim prolixior in re manifeſta.

2. Tim. 3. Iud. 1. 1. Ioan 2. 2. Ioan. 1. Apocal. 13. 2. Pet. 1.

Lib. de Præſc. adu hær c. 40. n. 253. & 254

In Dan. ca. 3.

In Oſe. c. 1. 8. & 11.

CAPVT VII.

Quòd etiam cum hæreticis communicatio ſcripturis vtriuſque Teſtamenti interdicta ſit.

QVinimo etiam ipſorum hæreticorum conſuetudinem ſacris litteris interdici, facile

facile eſt cõmonſtrare. In veteri quidem Teſtamento & ante Chriſti paſſionem ſub nomine Core, Dathan, Abyron, item Samaritanorum & Pſeudoprophetarum; in nouo etiã diſertis verbis. Atque huc imprimis pertinet: Recedite à tabernaculis impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinẽt, ne inuoluamini in peccatis eorũ. Item quòd D. Hieronymus hæreticorum patronũ Hieroboam faciat, qui primus propriũ cultum excogitauit, vt ſuprà cap. 1. dictum eſt: & quòd vbique per decem tribus Iſrael in omnibus Prophetis ſignificari dicat hæreticos. Quòd itaq; decem tribuum ſocietas interdicta eſt tribui Iuda, vt ſuprà c. 4. probatum eſt, ad inſtitutum iſtud pertinet. Et verò notum eſt illud: Non enim cõutuntur Iudæi Samaritanis. Item quod Chriſtus ad Apoſtolos: In ciuitates, inquit, Samaritanorum ne intraueritis. & quod Oſee, Amos, Michęas Prophetæ, potiſſimùm aduerſus tribum Ephraim ſeu Samariã, cum qua fœdus tribus Iuda inierat, prophetias ſuas direxerint. De pſeudoprophetis vitandis (quorum etiam nomine hæreticos intelligendos, qui ſpiritum ſuum ſequuntur, tradit D. Hieronymus) varij etiam loci occurrunt. Hinc illud: Si ſurrexerit in medio tui prophetes, &c. non audies verba prophetæ illius. Item: Nolite audire verba

Num. 16.

Super Amos cap 8.

3. Reg 12. Super Oſee. cap 1. & 9.

Ioan. 4.

Matth. 10.

In Ezech. c. 13

Deut. 13.

verba prophetarum qui prophetant vobis,& decipiunt vos,visionem cordis suiloquuntur, non de ore Domini. Denique illud Saluatoris: Attendite à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; à fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit. Noui præterea Testamenti scripturæ præcipuæ sunt istæ. Christus pronunciat: Cauete à fermento, id est, doctrina Pharisæorum & Sadducæorum. Item: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicētes: ego sum Christus: & multos seducēt. Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Apostolus item Paulus: Rogo vos fratres, vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, & declinate ab illis: huiusce modi enim Christo Domino nostro nō seruiunt, sed suo ventri; & per dulces sermones & benedictiones seducūt corda innocentiū. Item: Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua cōspersio. Auferte malum ex vobis ipsis.

Hier. 13. 27, 29.

Matth. 7.

Matth. 16.

Matth. 18.

Matth. 24.

Roman. 16.

1 Corint. 5.

Gal. 1. & 4. ipsis. Item: Sicut prædiximus & iterum dico: Si quis euangelizauerit vobis præter id quod accepistis, anathema sit. Abscindendi sunt enim qui vos conturbant, & volunt euertere euangelium Christi. Et Diuo Cypriano interprete, Nemo vos seducat inanibus verbis; propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidenitæ; nolite ergo effici participes eorum. Rursum: Videte canes, videte malos operarios. Multi enim ambulant quos sæpe dicebã vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi. Iterũ: Denunciamus autẽ vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionẽ quam acceperunt à nobis. Item, iuxta quod legit D. Cyprian. Si quis aliter docet & nõ acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & doctrinæ eius, stupore elatus est; discedendum ab huiusmodi. Ac, Prophana & vaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorũ vt cancer serpit; ex quibus est Hymenæus & Philetus qui à veritate exciderunt. Et, Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus secundum opera sua, quem & tu deuita, quia valde resistit verbis nostris. Denique apertiùs: Hæreticum hominem post vnam & secun-

Cyp. epist. 39. Ephes 5.

Philip. 3.

2. Thessa. 3.

Cyp. epist. 39. 1. Tim. 6.

2. Tim. 2.

2. Tim. 4.

Tit. 3.

secundam (imò si B. Augustino[a], Ambrosio[b], Cypriano, Lucifero[c], Tertulliano[d] & Irenæo creditur, post vnam seu primam) correptionē deuita; sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus. Diuus etiam Petrus Apostolus: [f] Quæ indocti & instabiles deprauant sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorū perditionem. Vos igitur, fratres, præscientes, custodite, ne insipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate. Diuus quoq; Ioānes Euangelista & Apostolus: Nunc Antichristi multi facti sunt: ex nobis exierunt, sed non erāt ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permānissent vtique nobiscum, sed vt manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis. Hæc scripsi vobis de his qui seducunt vos. Idem expressiùs alibi: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinā nō adfert, nolite eum in domū recipere, nec aue ei dixeritis; qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. Ac rursum in eius Apocalypsi Dominus scribens ad Angelos siue Episcopos septem Græciæ ciuitatū, primū Ephesium laudat, quòd nō possit sustinere malos, & oderit facta Nicolaitarum. Tertium Pergamenum increpat, quòd haberet tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum coram filiis Israel,

a *Augus. epist. 162.*
b *Amb. ep. 55*
c *Lucif. lib. de non commun cū hær.*
d *Tertull. de præsc. hæret. c. 6. n. 29.*
e *Adu. hæres. lib. 3. c. 3.*
f *2. Petr. 3.*
1. Ioan. 2.
2. Ioan. 1.
Apoc. 2. 3.

edere & fornicari, tenentes, inquam, doctrinam Nicolaitarũ. Quartum Thiatyræ similiter, quòd permitteret mulierem Iezabel seducere seruos suos. Denique exstat liber Luciferi, Caralitani Episcopi, ad Cõstantiũ De non conueniendo cum hæreticis, ex scripturis vtriusque Testamẽti collectus, vbi præcedentes omnes hoc & quinto capite citatę recensentur, & plures aliæ.

CAPVT VIII.

Quòd etiam Canonibus & Patrum scriptis prohibita sit communio cum hæreticis.

CAnones quibus vetatur communio cũm hęreticis, passim obuij sunt: quippe cùm omnium Conciliorum Canones in hæreticos coniunctum habeant anathema; nobis sufficiet apertiores adferre, & eos qui Apostolorũ sunt & antiquissimarum Synodorum ac Generalium. Imprimis autem quod in Canonibus Apostolicis obscuriùs habetur, id clariùs deducitur à D. Clemente in Constit. Apostolicis, allegatis etiam diuersis locis scripturarũ suprapositis. His adde Eliberini [a] Concilij, & Chalcedonensis [b], & sextæ Synodi [c] Canones, quibus vetantur hæreticorũ nuptiæ, & Sardicẽsis Synodi Patres, qui omnẽ omnino communionẽ interdicunt; Laodiceni item Concilij

Can. 11. & 45.

Lib. 6. c. 13. 18. & 26.

a Can. 6.

b Can. 14

c Can. 72.

Epistola ad omnes Episc.

cilij aliquot Canones,& Carthag.4. can. 71. & 72. Quinta etiam Synodus apud Constantinopolim acta, sic habet: Anathema Theodoro Mopuesteno, anathema illis qui non anathematizant eum. Septima Synodus, Nicęna secunda, non absimiliter: Qui scientes communicauerint cum illis qui contra venerandas imagines sentiunt, anathema sit. Quod ipsum ijsdem verbis repetitur in 8. Synodo. Pontificum primorum testimonia, ne proliziores simus, citabimus dumtaxat. Occurrūt autem primo loco, quæ suprà ex D. Petri epistola adduximus cap. præced. & initio huius cap. ex D. Clemente Romano. Item illud D. Anacleti: Si quis hæc præcepta non seruauerit, excommunicatus atque alienus ab Ecclesia habeatur: quoniam necesse est ea vitia ferro abscindere quæ alijs medicaminibus non sanantur. Videantur item Alexander Papa epist. 2. Hyginus epist. 2. Liberius epist. ad D. Athanasium & alij plærique. Inter quos D. Innocentij elegans est hæc sentētia: Euellendi sunt longiùs, & ab Ecclesiæ procul remouendi visceribus, ne diutiùs multa occupans insanabilis pòst error increscat. Si enim diu fuerint sub hac impunitate seruati, necesse est multas in hanc suam prauitatem mētes inducant, decipiātque innocentes seu potius

a Can. 31. 32. & 33.

Sub finem sess. 3.

Act sept sub med.

Actione 8.

2. Petr. 3.

Epist. 3.

Epist ad Cōc. Carthag.

imprudentes; putabunt enim eos rectè sentire, quos adhuc vident in Ecclesia perdurare: separetur ergo à sacro corpore vulnus insanũ, remotoq; morbi sęuiętis adflatu, cautiùs quę sunt sincera perdurent, & grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur. Cui similia habet Epist. ad Concil. Mileuit. additis etiã scripturis aliquot suprà citatis; & rursum Epist. ad quinque Episcopos Africę, de Pelagio hæretico. Patrum denique veterũ aliorum hac de re sententiæ infinitæ sunt: nos aliquot adnotabimus, remisso Lectore ad fontes ipsos compendij gratia. Videat itaque curiosus Lector locos imprimis omnes vbi citatur illud D. Apostoli suprà citatum: Hæreticum hominem post vnam atque alteram correptionem deuita. Maximè Iren. adu. hæres. lib. 3. cap. 3. quem etiam citat lib. 4. cap. 13. Eusebius, & Niceph. lib. 3. cap. 30. Tertullianum etiam & Cyprianũ locis supracitatis, & hunc præterea Epist. 55. 64. 73. 74. & 76. item lib. de lapsis, de Vnit. Eccl. tribus locis, ac Test. ad Quir. lib. 3. cap. 78. Nec non Origenem in Apol. Pamphili, & contra Celsum. Item D. Basilium epist. 75. & 85. D. Nazianzenum quoque varijs locis, ac D. Cyrillum Alexandrinũ lib. 1. Quòd vnus est Christus, D. Ambros. in c. 10. Lucæ. Eiusdem ac DD. Hieron. Chry-

Tit. 3.

Tertull. lib. de præs. adu. hæretic. c. 4. 5. 6.

Chryſoſt. Theophili, Oecum. & aliorũ eius loci commentarios. Item D. Athanaſ. initio Orat. 1. adu. Arianos, & in fine Epiſt. ad Solitarios; ac Alexandrum eius prædeceſſorem, epiſt. ad omnes Epiſcopos, apud Socratẽ lib. 1. Eccl. hiſt. cap. 3. & Epiſt. ad Alexandrũ Epiſc. Conſtantinop. apud Theodor. lib. 1. cap. 4.

CAPVT IX.

Exemplis quoque veteris hiſtoriæ idipſum comprobari.

AD exempla hiſtoriæ veteris vt accedamus, adnotatu digna eſt vox illa D. Ioannis Euangeliſtæ, cùm reperiret Cerinthum in balneo: Fugiamus hinc, ne balneum in quo eſt Cerinthus, veritatis aduerſarius, extemplo corruat. teſte D. Irenęo, qui id ſe ex ore D. Polycarpi accepiſſe narrat. Qui addit quòd ipſe etiam Polycarpus Marcioni ſibi aliquãdo occurrenti & dicenti, Cognoſcis nos? reſponderit, Cognoſco te primogenitũ Satanę. Tantum (inquit ibidem Irenæus) Apoſtoli & horum diſcipuli ſubierunt timorem, vt neque verbotenus cõmunicarent alicui eorum qui adulteraverant veritatem. Qui etiam Polycarpum dicit, epiſt. ad Florinum, ſicubi hæretica verba forte audiſſet, exclamare ſolitũ: O bone Deus, in quę me tempora reſeruaſti,

Iren. aduerſ. hæreſ. l. 3. c. 3 Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib 3. c. 22. & 4. cap. 17. Niceph. l. 3. cap. 3. Apud Euſeb. lib. 5. c. 19.

vt ista patiar, atque ex eo loco quo sedens vel stans ea audisset, illico aufugisse. Similiter (Apollinari teste apud Euseb. & Niceph.) simul atque viri verè Ecclesiastici & Catholici, persecutionis tẽpore ad testimoniũ fidei quæ est ex veritate, vnà cum quibusdã Cataphrygum hæresi cæcatis essent fortè vocati, ab illis planè dissenserunt plurimũ, & ne cum vesano ac dementi Montani & mulierum sibi in societatẽ adscitarum spiritu vlla ex parte consentire viderentur, cum illis cõmunicare ad extremum vsque spiritum prorsus recusarũt. Quin etiam Origenes numquam induci potuit vt precibus vnà cum Paulo hæretico (ni fallor Samosateno) interesset; quippe qui ab incunte ætate & Ecclesiæ Canonem obnixè obseruasset, & errorum doctrinas fuisset semper detestatus. Canonẽ item Ecclesiasticum talem ab Heracla Episcopo accepisse se scribit Dionysius Alexandrinus, quòd eos, cùm essent accusati, qui consuetudine cuiuspiam eorum qui alienam & diuersam à fide doctrinam tuebantur, multũ vsi fuissent, Ecclesia eiecerit. Iuxta quem Canonem Marcellus Ancyræ Episcopus, adhuc Catholicus, neque Tyri, neq; Hierosolymitano Concilijs, neque consecrationi magni tẽpli Hierosolymis per Constantinum ædificati, interesse voluit, non

Euseb. lib. 5. c. 15.

Apud Euseb. lib. 6. c. 3.

Apud Euseb. lib 7. c. 6.

Apud Zozom. hist. Ecclesiast. lib. 2. c. 31.

alia

alia de cauſſa, quàm vt Arianorum Epiſcoporum vitaret communionem. Sic etiam Liberius Papa, Epiſtola ad Orientis Epiſcopos, à communione excludit Eccleſiæ, ſiqui anathema Ario non dicant. Neque verò aliam ob cauſſam reprehẽſus Felix Romanus Pontifex in Liberij locum ſubſtitutus (vtpote qui quantum ad Religionem attinet omni reprehenſione caruerit) quàm quòd Arianorũ cõmunione vteretur. Eodẽ pertinet quod narrat D. Athanaſius de populo Alexandrino, quòd præoptarent ægrotare & periclitari ſine viſitatione, quàm vt Arianorũ manus ſuis capitibus imponi ſuſtinerent. Item quòd plebei quidam Alexandrini cùm verberarentur ab Arianis, vt ita ad ſe eos pertraherẽt; Nõ communicam°, inquiũt, cũ hęreticis, verberate vt lubet, Deus ob iſta te iudicabit. Porrò & Placilla Imperatrix, cùm Imperator Theodoſius ſenior deſiderio teneretur conueniẽdi Eunomij, eum ſtudiosè deprecando cohibuit, ne, quod conſentaneum videbatur moribus, colloquio circumuentus, in illius ſententiam deflecteret. Denique Samoſatenſium etiam zelus ad exemplum Diui Ioannis Euangeliſtæ commendatur, qui, quòd idem Eunomius ſe lauiſſet in publico balneo, aquam hæreticæ nequitiæ contagione infectam eſſe rati, eam

Apud Socrat. lib. 4. c. 3.

Apud Zozom. lib. 4. cap. 10.

Athanaſ. ad Orthod. de perſ.

Idem epiſt. ad Solitar.

Apud eundẽ Zozo lib. 7. c. 7.

Apud Theod. lib. 4. c. 14. Caſſiod. hiſt. Tripart. l. 7. c. 16.

in cloacam emiserunt, nouamque sibi infundi imperarunt.

CAPVT X.

Neque ethnicos voluisse permittere Religionis pristinæ innouationem.

ETHnicos ipsos noluisse permittere duas in vna Republica Religiones, vel inde comprobari potest, quòd nouas Religiones introduci minimè permiserint; quippe qui metuerẽt Reip. cum Religione mutationem. Mutata enim Religione, Tullio teste, necesse est vitæ ciuilis sequatur confusio. Hinc apud Romanos lex illa 12. tabularum: Peregrinos Deos ne colunto. Illud item Tertulliani: Vetus erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probatus. Et Numa Pompilius ea de caussa sacrorum Pontifices (Liuio asserente) instituit, vti curarent ne quis motus fieret per nouarum extraneaŭ ceremoniarŭ introductionem. Quin etiam Augusto Cæsari inter rationes Reipub. refo:-mandæ eam imprimis consuluit Mecenas, vt ne permitteret mutationem aliquam in Religione; quippe qua conturbari soleat Reipub. status, nouæ Religionis prætextu, & illicita collegia, coniurationesq; & seditiones nasci. Apud Græcos Isocrates sua Principis institutione

Tertul. Apol. cap. 5. n. 55.

Apud Dionem lib. 52.

tione hortatur, ne mutet prędecessorum suorum Religionem, ob motus qui inde oriri solent. Et hostes Socratis, calumniam quęrentes qua illum neci traderent, non aliam conuenientiorem inuenerũt quàm quòd Deos negans (vel Tertulliano teste) noua inferre videretur dæmonia. Quo fit vt Plato & Xenophõ in sua in illũ Apologia maximè in ea accusatione purganda laborauerint. Eodẽ pertinet illud Athenienſiũ aduersus D. Paulum: Nouorũ dæmoniorum videtur adnunciator esse.

Apol. c. 46. & initio lib. de Anima.

Actor. 17.

CAPVT XI.

Propterea ortas Christianorum primas persecutiones.

HInc ortas ipsius Christi, Apostolorum, & primorum Christianorũ persecutiones decem, quòd persuasum sibi haberent non posse permitti diuersos cultus sine Reip. motu ac graui Imperij detrimento, veteres historiæ & sacræ & prophanæ satis liquidò commonstrant. Atque imprimis illa Pontificũ & Phariſæorũ exclamatio: Quid facimus, quia hic homo signa multa facit? si dimittimus eũ sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem. Deinde hæc Iudæorum aduersus Christum calumnia: Hũc inuenimus subuertentẽ gentem

Ioan. 11.

nostram. Commouit enim populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc. Nec dissimilis caussa persecutionis Apostolorum post Christi in cœlum ascẽsum.
Act. 4. Loquentibus enim illis ad populum, superuenerunt sacerdotes & magistratus templi & Sadducæi, dolentes quòd docerent populum & annunciarent in Iesu resurrectionem ex mortuis, & iniecerunt in eos manus. Apud Philippos similiter Gentiles offerentes eos
Act. 16. magistratibus, Hi homines, inquiunt, conturbant ciuitatem nostram, cùm sint Iudæi; & adnuntiant morem quem non licet nobis susciperе neque facere, cùm simus Romani. Et Thessalonicæ Iudæi ad principes ciuitatis
Act. 17. exclamabant: Hi vrbem concitant, & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium docentes Iesum. Et Corinthi Paulum
Act. 18. ad tribunal duxerunt Iudæi dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum. Quam accusationem cum repetiuissent, & Hierosolymis apud plebem, & Cæsareæ apud Felicem & Festum Præsides, ipse
Act. 21. D. Paulus rationem reddidit: quoniam neque in legem, neque in templum, neque in
Act. 19. Cæsarem quicquam peccasset. Ephesij quoque D. Pauli accusatores, Videtis, inquiunt, & auditis quia non solùm Ephesi, sed penè totius

totius Asiæ Paulus hic suadēs auertit multam turbam, dicens, quoniam nō sunt dij qui manibus fiunt. Iam verò Christianorum (seu Chrestianorum, vti eos appellabant) per Imperatores persecutio haud dubiè inde ortum habuit, quòd metuerēt ne sicuti Iudæi in Iudæa, ita & ipsi tumultū aliquē, noua Religione introducta, Romæ excitarent. Huc pertinet illud Suetonij: Iudæos, impulsore Chresto, assiduè tumultuātes Roma expulit; quod etsi dubitet Orosius an etiam ad Christianos extenderit, certè de ijs intellectum ex Cornelij Taciti his verbis apparet, vbi de Neronis quæsitissimis pœnis in Chrestianos agit: Repressaque (inquit) exitiabilis superstitio rursus erūpebat, non modò per Iudæam, originem eius mali, sed per vrbem etiam. Neque enim repressa Christiana Religio legitur ante Neronem, nisi fortè per Claudium Cæsarem. Eandem quoque opinionem de Christianis tamquam seditiosis Traiano persecutionis occasionem dedisse, vel ex Epistola Plinij Secundi patet, qua ad illum scribit, comperisse eos se sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne adulteria cōmitterent, ne fidē violarent, &c. Hinc & Hadrianus Cæsar ad Minutium Fundanū puniri eos vetat, nisi probatum sit contra leges aliquid cōmisisse.

Sueton. in Claud. c 25. Oros. l. 7. c. 6

Tacit. Annal. lib. 15.

Apud Euseb. Eccles. hist. l. 4. c. 9. & Niceph l. 3. cap. 27.

Hinc

Hinc primùm Imperatorum edicta aduersus Christianos, imprimis conuentus omnes prohibuerũt, quòd de seditione aliqua suspectos haberent; sed innocuos illos fuisse etiam Tertullianus latè deducit. Post quem nihilominus etiam à Decio, Valeriano, Diocletiano & Maximiano ac Licinio similis interdictio facta est, addita caussa nominatim in edicto Maximiani, columnis inscripto: Vt Ciuitas non scindatur varijs erroribus, sed totam (inquit ille) se tradat augustæ Deorum veneration. Eodem pertinet quòd DD. Iustinus, Athenagoras & Melito in suis Apologijs hoc imprimis agant, vt innocentiam Christianorum tueantur à crimine læsæ Maiestatis, de quo inter cætera accusabantur. Atque quod repetit Antoninus suo per Asiam edicto, rescripsisse scribẽs patrem: nihil eiuscemodi viris negotij facessendũ, nisi fortè aliquid maleficij contra Romanum Imperium designare moliantur. Et post eos latissimè Tertullianus Apolog. cap. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. & 37. Ex quo constat eundẽ metum etiam quintæ persecutioni sub Seuero caussam fuisse; atque ea etiam de caussa appellatos hostes humani generis.

Apolog. c. 38 39. 40. ac 41

Apud Euseb. lib. 6. c. 10. l. 8. c. 5. 29.

Lib. 9. c. 6. & 8. ac l. 1. de vita Cõstant. c. 44. & 46.

Apud Euseb. ibidem c. 12. & Niceph. lib. 3. c. 28.

CA-

CAPVT XII.

Quòd adeò etiam sectus ethnici illi Imperatores licentiam permiserint, vt citiùs Religio Christiana dissiparetur.

HInc vt nouitiola Christiana Religio adhuc facilius dissiparetur, solos ferè Catholicos nouis inauditisque suppliciis cruciabant Imperatores ethnici plærique; ab hæreticis, etsi impurissimis, vt plurimum abstinebant. Ita enim D. Iustinus ad Antoninum Pium: Omnes qui ab his (nempe Simone, Menandro & Marcione) prodeunt, Christiani vocantur; haud aliter atque Philosophis, cùm eorum non sint communia dogmata, quod tamen à Philosophia dicitur, commune omnibus est nomen. An verò etiam hi infamia illa & fabulosis in vulgus sparsa sermonibus facinora in se admittant, lucernæ euersionem, promiscuos concubitus, & humanarum carnium viscerationes, nescimus. Persecutione certè eos non expeti neque occidi à vobis ob ipsa etiã dogmata sua, scimus. Haud absimiliter Apollinarius Hieropolitanus aduersus Cataphryges: Qui nos (inquit) Prophetarum interfectores appellarunt, quòd garrulos & loquaces illorum Prophetas minimè admiserimus nobiscum, quæso respondeant: Ecquis illorum qui Montani & mulierum illarum

Apol. 2.

Apud Euseb. lib. 5 cap. 15

disci-

disciplina eruditi garrire cœperunt inuenitur qui vel à Iudæis sit persecutionem perpessus, vel à nefarijs & facinorosis gentibus neci traditus? Nemo certè. Et quod ad Montanum ipsum & Maximillam adtinet, illi alio quodam & longè diuerso mortis genere occubuisse dicuntur, ac sibi laqueo mortem conscisse. Huic conforme est etiam illud D. Cypriani: Quid ad hæc Nouatianus? Agnoscitis iam quæ sit Ecclesia, qui sit Sacerdos Dei, & domus Christi, qui sint serui Dei quos diabolus infestet? Qui sint Christiani quos Antichristus impugnet? Neque enim quærit illos quos iam subegit, aut gestit euertere quos iam suos fecit. Inimicus & hostis Ecclesiæ, quos alienauit ab Ecclesia & foras duxit, vt captiuos & victos contemnit & præterit, eos pergit lacessere in quibus Christum cernit inhabitare. Et alibi: Neque enim persequitur & impugnat Christi aduersarius nisi castra & milites Christi; hæreticos prostratos semel & suos factos contemnit & præterit.

Epist. 57. ad Corn.

Epist. 58. ad Lucium.

CAPVT XIII.

Quòd eandē ob caussā quæ ethnicos mouit, hæretici & apostatæ Impp. sectis licentiam dederint; vt nempe ita interiret Religio Catholica.

OCcurrit hic imprimis quod de Constantio Constantini Magni filio Imperatore Ariano

Ariano ſcribit D. Athanaſius: Alias (inquit) hæreſes minores vt ſorores ſuas permittebat blaſphemias in Dominum proferre, & Chriſtianis tantummodò ſuis inſidijs imminebat. Catholicis enim (teſte Zozomeno) nulla fuit Eccleſia relicta, ſed omnes ipſis erant ablatæ ab Arianis; & omnes illi ſecum doctrina & opinione diſſidentes Eccleſijs eiecêre, grauibúſque affecêre ſupplicijs. Porrò Iulianus Imperator Apoſtata, deſertor Chriſti & inimicus (inquit D. Auguſtinus verbis ipſiſſimis Optati Mileuitani) ſupplicantibus Rogatiano & Pontio libertatem perditionis parti Donati permiſit. Denique tunc reddidit Baſilicas hæreticis, quando templa dæmonijs; eo modo putans Chriſtianum nomen poſſe perire de terris, ſi vnitati Eccleſiæ de qua lapſus fuerat, inuideret, & ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret. Quod ipſum etiã alibi Donatiſtis exprobrãs D. Auguſt. Quid, inquit, vobis fuit cum Rege Pagano, &, quod grauius eſt, Apoſtata, & Chriſtiani nominis hoſte Iuliano, à quo vobis Baſilicas quaſi veſtras reddi deprecantes, hoc in laude eius poſuiſtis quòd apud illum ſola iuſtitia locum haberet? quibus verbis & idololatria Iuliani & apoſtaſia iuſtitia eſt appellata. Idem etiã teſtibus Eccleſiaſticis ſcriptoribus*, odium priuatum in

Athan. epiſt. ad Solitar.

Zozom. l. 4. c. 19. & 26

Aug. ep. 166 Opta. Mil. cõtra Parm. lib. 2.

Idem contra Petil. lib. 2. c. 92.

Socrat. l. 3. cap. 9. Niceph. l. 10 c. 5. & 20.

in omnes Christianos palam ostendés, etiam Nouatianorum Ecclesiam Cyzici expensis Catholicorum exstrui iussit. Valens item hæreticus ab vxore seductus (Theodoreto & Nicephoro testibus) Antiochię impunitatē concessit Gentilibus, Iudæis, & alijs quibusque qui nomen Christianorum sibi adsumentes, doctrinā Euangelio repugnantem prędicabant. Solis autem Apostolicæ doctrinæ propugnatoribus tyrannus iste hostē se præbuit. Nam primùm illos sacris ædibus (Iouinianus enim Imperator eis Ecclesiam recèns ædificatam dederat) exturbauit; qui simul atque ad montis radicem in vnum cōuenerant, infestos aëris turbulenti impetus toleranter pessi; ne hac quidem commoditate quātumuis laboriosa, fruēdi permisit illis potestatem, sed missis ad eum montem militibus, eorum conuentum dissipauit. Sed nec ad ripas vicini fluminis conuentum agere sunt permissi.

Theod. Eccl. hist. libro 4. c. 22. & 23. Niceph l. 11 cap. 24.

Idē l. 16. c. 2

Ad eundem modum (eodem Nicephoro teste) Basiliscus etiam instinctu vxoris Arianæ hæreticæ in hæresim lapsus, licentiā multam permisit quoscumque Ecclesiasticis opinionibus aduersari posse sciret. Eodem pertinet quod scribit Zonaras de Constantino Copronymo, qui solos Christianos persecutus, ex Iudæis, Magis, & Gentibus quasi monstrum quod-

Zonar. Annal. lib. 3.

quoddam Africanum conflauerit. Denique quòd Nicephorus Imperator vt Manichæis parceret, sectas omnes licentia instigabat, solos sacerdotes Christianos molestijs euocans. Postremum eadem de causſa etiam Theodoricus Ostrogotthorum deinde & Italiæ Rex Arianis libertatẽ cõcessit, occisis Symmacho Patritio, & S. Ioãne Papa Romano; & Boetio in exilium missſo, & postmodum perempto.

Paulus Diac. lib. 24.

Sigebert. in Chron.

CAPVT XIIII.

Quòd è contrario Christiani Imperatores idololatriam eliminauerint.

EContrario, ne Respublicę ex idololatriæ cum Christianismo permissſione damnũ acciperent, primos Imperatores Christianos omnem dæmonum cultum eliminasſe, in confesſo est. Hinc Constantinus Imperator statim Christi fidei initiatus, sacrificia ne idolis immolarẽtur interdixit. Deinde in singulis vrbibus regionibusque per certos cõmissſarios auctoritate Imperatoria ab ipsis eorũ sacerdotibus idola in publicum produci iussſit & abradi exspoliariq́ue, & materiã ipsam aut cõsumi, aut ad irrisionẽ adseruari. Deniq; frequẽtibus legibus interdixit idololatrię genus omne; quibus inducti plerique fana deorũ & delubra destruere cœperũt. Simile quid factũ

Apud Euseb. de vita Cõst. lib. 2. c. 44. Ibidẽ lib. 3. c. 52 & seq. Ibidẽ lib. 4. c 25. & 39. & apud Socrat. lib. 1. cap. 14.

D à Con-

Epist. 30 ad Valent. Imp.

à Constantio Constátini filio ex D. Ambrosio patet: Ille enim, inquit, nondum sactis initiatus mysterijs, cõtaminari se putauit si aram illam (de ara Victoriæ loquitur in Senatu erecta) videret; iussit autem auferri. Immò &

Hist. Eccles. lib. 9. c. 20.

tres illos Imperatoris filios scribit Nicephorus idolorum cultum sustulisse, & vbique clausstra Græcorum templis imposuisse, quædam etiam in materiæ rationem reuocata & fun-

Apud Socrat. Eccles. hist. lib. 3. c. 19. & 20. & Theodor. lib. 4. c. 1.

ditus statim diruta. Certè post obitum Iuliani Apostatæ, qui iterum idololatriam introduxerat, iussu Iouiniani Imperatoris iterum gentilium delubra occlusa, & cruenta illa ac scelerata sacrificia omnino fuêre sublata: qui ex hoc meritò cõmendatur, quòd cùm à militibus inuitus ad Imperium raperetur, respondit, se, qui Christianus erat, nolle omnium hominum gentilitatem profitentium Imperium suscipere, nec acquieuerit, nisi postquam se illi etiam Christianos professi essent; quippe quorum plerique sub Constantino, alij sub Constantio, fidẽ Christianã sectari cœpissent, & tempus Iuliani tam exiguum fuerit, vt non suffecerit ad erroris perniciem altiùs animis eorum infigendam. Quid? quòd Theodosius

Apud Socrat. l. 5. c. 16 & Zoz. lib. 7. cap. 20.

Imperator, qui animaduertebat superioris temporis consuetudine adspirare subditos ad cultum patrium quamdiu idolorum exstaret delu-

delubra, initio ſtatim Imperij vetuit ne ea accederent; deinde addita etiã capitis & confiſcationis bonorum pœna, ſi quis contraueniret; ac deinde edicto dirui iuſſit. Quo factũ vt paulatim ad Eccleſias & conuentus Chriſtianorũ ventitare cœperint. Atque hoc quod D. Ambroſius: Cùm, inquit, per totum ferè orbem à pluribus retrò Principibus priuilegia gentilium, quibus ſæpè decepti ſunt etiam Chriſtiani, inhibita interdictáque eſſent, Romæ ab auguſtæ memoriæ Gratiano ſublata ſunt, & datis antiquata reſcriptis. Et alibi: Certè ante plures annos templorum iura toto orbe ſublata ſunt. Atque adeò cùm Symmachus relatione ſua ad Imperatores Valentinianum, Theodoſium, & Arcadiũ Senatus nomine multis argumentis egiſſet ad aram Victoriæ in Senatu reſtituendam, dicta vrgẽs reſcripta: Deo vero quiſquis militat (inquit ad Valentinianum Iuniorem Imperatorem) non diſſimulationem, non conniuentiam, ſed fidei ſtudium & deuotionis impendit; poſtremò ſi non iſta, conſenſum ſaltem aliquem non debet cõlendis idolis & prophanis ceremoniarum cultibus exhibere. De negotijs ciuilibus ſi quid ſtatuitur, nemo putat eſſe temerandum; & præceptum de Religione calcabitur? Quòd ſi aliqui nomine Chriſtiani

Ambroſ. vbi ſuprà.

Idem epiſt. qua ſupra ad Valent.

tale aliquid decernendum putant, mentem tuam vocabula nuda non capiant, nomina cassa non fallant; quisquis hoc suadet, sacrificat. Qui addit memorabile exemplum zeli Christiani in Senatu Romano; Absit, inquiés, vt hoc Senatus petisse dicatur. Nam & ante biennium ferme, cùm hoc petere tentarent, misit ad me Sanctus Damasus Romanæ Ecclesiæ Sacerdos iudicio Dei electus libellum quem Christiani Senatores dederunt, & quidem innumeri, postulantes nihil tale se mandasse, non congruere gentilium istiusmodi petitionibus, non præbere consensum; questi etiam publicè priuatimque se non cõuenturos ad Curiam, si tale aliquid decerneretur. Deniq; magna cum libertate, Certè si aliud, inquit, statuitur, Episcopi hoc æquo animo pati & dissimulare non possumus. Licebit tibi ad Ecclesiam conuenire, sed illic non inuenies sacerdotem, aut inuenies resistentẽ. Quid respondebis sacerdoti dicenti tibi; Ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulacris fecisti? Vox enim tua, manus tua, subscriptio tua, opus est tuum. Obsequium tuum Dominus Iesus recusat & respuit, quoniã idolis obsecutus es. Dixit enim tibi: Nõ potestis duobus Dominis seruire. Quę prolixiùs descripsimus, quòd mirè ad institutum nostrum conducere

Ibidem.

Matth. 6.

ducere videantur: plura qui volet, videat Respõsa eius, & D. Prudentij libr. 2. ad dictam Relationem Symmachi. Eodem pertinet illud Diui Augustini: Quis nostrûm, quis vestrûm non laudat leges ab Imperatoribus datas aduersus sacrificia Paganorum? Quod repetit iterum libro 1. contra Parmen. cap. 7. & epistola 22. Constantini Magni factum longè antiquius. Is (Eusebio teste) illis qui in Regia sibi seruiebant, libera data optione hãc obtulit conditionem, vt vel dæmonibus immolando integram haberent potestatem suis honoribus perfruendi; vel si minus hoc exequerentur, aditu & consuetudine sua prohiberentur. Postquam igitur in duas partes diremptæ fuerũt, alij in hanc, alij in illam segregati; illico in quo essent instituto, perspicuè ostenderunt. Ibi admirabilis ille Constantinus, commento quod celatum fuerat statim patefacto, quorundam timiditatẽ vehementer coarguit, alios ob sinceram in Deum mentem approbauit. Illos deinde tanquam Dei proditores Imperatoris seruitio indignos censuit. Quomodo enim, inquit, fidem erga Imperatorem seruare poterunt, qui aduersus Deum Optimum Maximũ perfidi esse manifestè conuincuntur?

Ambr. ep. 31
Prudent. cõt. Symm. lib. 2.
Augustinus epist. 48. ad Vinc. Donat.
Euseb. lib. 1. de vita Constant. cap. 11

CAPVT XV.

Quòd Sectis etiam libertatem ademerint Constantinus, eiúsque filij, ac Valentinianus, Christiani Imperatores, immò & ante eos Aurelianus quamtumuis ethnicus.

SEctis etiam libertatem non permisisse plerosq; Imperatores primos Christianos, verum quidem est; sed maiori discussione tractandum, quòd quidam contrarium sustinere nitantur; at rescripta & edicta eorundem aduersus hæreticos rem ipsam luce clariùs demonstrabunt. Primò autem occurrit ethnici Imperatoris Aureliani exemplum: Hic (vti scribit Eusebius) cùm Paulus Samosatenus, à Synodo Antiochena damnatus, Episcopi ædes relinquere successori nollet, de ea re sententiâ rogatus, decreuit, vt domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ & Vrbis Romæ Episcopi per litteras tribuendam præscriberent; & sic Paulus secularis Imperij auctoritate ab Ecclesia penitus excluditur. Constantinus primus deinde auspicatus Imperiũ à publico decreto quo liberos Christianos esse pronuntiauit, ne id quoque ad se pertinere putarent hæretici, Christianorum nomen & priuilegia sibi vsurpantes, primùm ad Cæcilianum Carthaginiensem Episcopum scripsit: Quoniam accepi quosdá non satis compositę men-

Euseb. lib. 7. c. 24. & Niceph. l. 6. c. 17. & seq.

Apud Euseb. l. 10. c. 6. & Niceph. l. 7. c. 72.

mẽtis homines populũ ſanctiſſimę Catholicę Eccleſię praua quadã & ſubadulterina fraude peruertere velle, ſcito me Anilino (ſeu potius Anylino) Procõſuli, atque etiam Patritio vicario præfectorum eiuſmodi mandata dediſſe, vt inter alia omnia ad hanc quoque rem quam par eſt maximè curam conferãt, neque ſi tale quid accidat, negligendum ſibi putent. Itaque ſi aliquos eiuſmodi homines in ea ipſa inſania perſeuerare videris, ſine omni procraſtinatione eos quos dixi iudices accedes, & rem eis propones, vt illos, quemadmodũ præſentibus eis præcepi, caſtigent & coërceant. Ad quam legẽ videtur alludere Auguſtinus: Hoc (inquiens) contigit Donatiſtis quod accuſatoribus S. Danielis. Sicut enim in illos leones, ſic in iſtos conuerſæ ſunt leges, quibus innocentem (Cæcilianum vtpote) opprimere voluerunt; niſi quod propter miſericordiã Chriſti, magis pro eis ſunt leges iſtæ quæ illis videntur aduerſæ, quoniã multi per illas correcti ſunt. Conſtantinus, inquit idem, prior contra Donati partem legem ſeueriſſimam tulit. Et alibi quid ipſa Conſtitutio Anylino tradita contineret, explicat: Conſtantinus (inquiens) Imperator primus conſtituit in hac cauſſa vt res conuictorum, & vnitati pertinaciter reſiſtentium, fiſco vindicarentur. Et

Epiſt. 50. ad Bonifac. com.

Epiſt. 166.

Epiſt. 48. ad Vincent.

Epist. 168. ad Iannar.

turſum apertiùs: Primus, inquit, contra veſtram partem conſtituit, vt loca congregationum veſtrarum fiſco vindicarentur. Ex quo&

Cont. Parm. lib. 1. c. vlt. Cont. Petil. lib. 2. c. 92. Apud Socrat. lib. 1. c. 6. Zozom. l. 1. cap. 20. & Niceph. l. 8. cap. 25.

alijs diui Auguſtini locis ſatis patet, primùm latam legem, vt Baſilicas vnitatis nõ teneret, deinde etiam vt eas quas ipſi ædificaſſent retinere nõ permitterentur. Aduerſus Arianos idem Imperator hoc fecit edictum: Cum Arius malignos & impios ſibi imitandos duxerit, par eſt vt eandem cum illis ferat ignominiam. Quemadmodum igitur Porphyrius, diuinæ pietatis hoſtis, iniquis de Religione compoſitis libris condignam recepit mercedem, per quam omnium futuris ſęculis probris obnoxius erit, plurimaque obruetur infamia, atque inſuper impia eius abolita ſunt ſcripta: ita & nunc placitum nobis eſt, Arium, & Arij ſuffragatores Porphyrianos nominari; ſiquid autem ſcriptum, compoſitũ ab Ario reperiatur, vt igni id tradatur volumus. Illud etiam mandamus, vt ſi quis librum ab Ario compoſitum occultaſſe deprehenſus ſit, & eum non ſtatim in medium adductũ igne combuſſerit, morte multetur. Denique etiam aduerſus

Apud Euſeb. vitæ Conſt. lib. 3. c. 62. & 63.

omnes hæreſes eius Lex exſtat ſtatis prolixa, ſub cuius finem hæc verba reperire eſt: Quid ergo? Patiemúrne eiuſmodi malorum contagionẽ longiùs ſerpere? præſertim cùm longa dilatio

dilatio faciat vt ſani & valentes ea tanquam peſtifero morbo inficiantur? Cur igitur non cum maxima celeritate eiuſmodi prauitatis radices animaduerſione & pœna publica amputamus? Itaque quò iſta veſtræ peſtis pernicies longiùs graſſari impediatur; per hanc legem mandamus, ne quis veſtrũ poſthac conuentus cogere audeat; & propterea etiam iubemus, vt vniuerſę ędes veſtrę in quibus congreſſus illos celebrare conſueuiſtis, penitus euertantur, & hæc cautio eò vim ſuam porrigat, vt non modò in publicis, ſed nec in priuatis quoque ędificijs, aut in locis vllis ſeparatis, huius veſtræ ſuperſtitioſæ amentiæ factiones coëant. Et cætera quæ compendij gratia prętermittimus. Hoc vno addito, quòd huius legis occaſione & hæreticos & ſchiſmaticos ad Eccleſiam paulatim redijſſe, auctor ſit Euſebius, Zozomenus, & Nicephorus. Conſtantinietiam, Conſtantij & Conſtantis Imperatorum, liberorum Conſtantini, lex etiamnũ reperitur: Priuilegia (inquiunt) quę contemplatione Religionis indulta ſunt, Catholicæ tantum legis obſeruatoribus prodeſſe oportet. Hæreticos verò non ſolùm his priuilegijs alienos eſſe volumus, ſed aduerſis muneribus cõſtringi & ſubijci. Hi etiam cõtra partem Donati leges obſeruari præceperunt, teſte Diuo

Ibid. c. ſequ. Zozom. l. 2. cap. 30. Niceph. l. 8. cap. 52.

Epist. 66. Augustino. In qua sententia perstitisse Constantinum & Constantē, vel inde patet, quòd cur Occidens omnis concordia vigeret interrogatus Ascholius Thessalonicensis ab Theodosio, causſam reddiderit quòd Constantinus & Constans succesſoresque eorum Valentinianus & Gratianus patriam fidem ipsi conseruasſent ac protexisſent. Constans præterea aduersus Donatistas in Africam misit Macarium, suum præfectum, qui etsi seuerè in illos capitali pœna animaduerterit, defenditur tamen eius factum ab Optato Mileuitano ver-

Apud Nicephor l. 12. cap. 6. & Socrat. l. 5. cap. 6.

Opt. Mileu. adu. Parm. lib. 3.

bis infrà citatis cap. 21. Qui cum Constantio antequam in hæresim incideret, ita scripsit: Certi sitis me omni ope adnisurum, vt ea quę sunt legis Dei, quàm maximè inoffensa illabefactaque seruentur, profligatis scilicet & contritis semel inimicis legis, qui sub specie sancti nominis multiplices & diuersas blas-

Const. ep. ad Tyr. Synod. Athanasium apud eundem Apol. 2.

Epist. 166. phemias inferunt. Iouinianus (inquit Diuus Augustinus) qui Iuliano succesſit, quoniam citò mortuus est, nihil de rebus talibus Va-

Ibidem. lentis iussit. Deinde Valentinianus (inquit idem ad Donatistas) legite quæ contra vos iusserit.

Quòd

CAPVT XVI.

Quòd Gratianus quoque, Valentinianus secundus, ac Theodosius Magnus, Imperatores, edictis hæreticos compescuerint.

GRatiani quoque, Valétiniani Iunioris, & Theodosij Lex hęc exstat, cuius Theodoretus meminit & Zozomenus: Cúctos populos quos clemẽtię nostrę regit Imperium, in tali volumus Religione manere, quam diuinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, Religio hucusque ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi clarer, &c. Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti; reliquos verò demẽtes vesanosque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere; diuina primùm vindicta, pòst etiam motus animi nostri quam ex cęlesti arbitrio sumpserimus vltione plectendos. Item ista: Episcopis tradi omnes Ecclesias mox iubemus, quos constabit communione Nectarij Episcopi Constantinopolitanæ Ecclesiæ esse sociatos, &c. Hos ad obtinendas Catholicas ecclesias ex communione & consortio probabilium Sacerdotum oportebit admitti. Omnes autem qui ab eorum quos commemoratio specialis expressit, fide cõmunionis dissentiũt,

Theodor. Eccles. hist. lib. 5. c. 2. Zozom. l. 7. cap. 4.

vt

vt manifestos hæreticos ab Ecclesijs expelli, neque his penitus obtinendarũ Ecclesiarum Pontificium facultatemque permitti, vt verę ac Nicęnæ fidei sacerdotia casta permaneant. Rursum alia: Nullus hæreticis ministeriorũ locus, nulla ad exercendã animi obstinatioris dementiam pateat occasio. Sciant omnes, etiam si quid speciali quolibet rescripto per fraudem elicito ab huiusmodi hominum genere impetratum sit, non valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbę, vnius ac summi Dei nomen vbique celebretur, Nicęnæ fidei dudum à maioribus traditæ, & diuinæ Religionis testimonio atque assertione firmatæ obseruantia semper mãsura inseruiat, &c. Qui verò eidem nõ inseruiũt, desinãt affectatis verbis alienum verę Religionis nomẽ assumere, & suis apertis criminibus denotentur. Gratianum etiam & Theodosium quædam de Donatistis constituisse ex D. Augustino patet. Narrat denique Seuerus Sulpitius ob vnũ Priscillianum edictum à Gratiano impetratum, quo vniuersi hæretici excedere non Ecclesijs tantùm aut vrbibus, sed extra omnes terras propelli iubebantur; quo comperto Gnostici diffisi rebus suis sponte cesserint, qui Episcopi videbantur, reliquis metu dispersis. Theodosius Magnus

Cod. de summa Trin. l. 2

Epist. 166. Hist. sacr. lib. 2. n. 69.

ijsdem

ijsdem vestigijs quibus id cœperat insistens, legem illam priorē cum suis prædecessoribus latam Gratiano quintùm & Theodosio primùm Cōss. seriò obseruās, Demophilo Arianorum Episcopo statim denunciauit vt Constantinopolis Ecclesijs excederet: quo facto & reliquas Arianorum Ecclesias recuperarunt Catholici, quas iam quadraginta annis tenuerant. Deinde iterum Merobando & Saturnino Conss. Lege lata sanxit, vt sectarij neque conuentus agerent, neque doctrinā fidei profiterentur, neque Episcopos aut alios ordinarent; atque vt alij vrbibus agrisque expellerentur, alij notarentur infamia, & Reip. participes non essent, grauibus pœnis impositis. Exstat ea Lex cum precedenti in Cod. Theodosiano, L. Omnes vetitæ, & L. Cuncti hæretici, Tit. De hæreticis. Adnotanda est & ea Lex Theodosij, Valentiniani & Arcadij: Nullegressō ad publicū, vel de Religione disceptandi, disputandi, vel tractandi, vel consilij aliquid deferendi patescat occasio; & si quis posthac ausu graui atque damnabili contra huiusmodi legem veniendum esse crediderit, vel insistere metu pestiferæ perseuerationis audebit, competenti pœna, & digno supplicio coërceatur. Et hæc quoque eorundem: Hi qui sæui retinent dogmatis principatum, hoc

Apud Zozom. lib. 7. cap. 5. & Niceph. lib. 10. c. 8.

Ibidem apud Zozom. cap. 12. & Niceph. cap. 15.

Inter Leges Theodosij leg. 2. de hær.

Ibidem l. 10

hoc est, Episcopi, Presbyteri, Diaconi atque Lectores, & qui clericatus velamine Religioni maculam conātur infligere, sub cuiuslibet hæreseos siue erroris nomine constituti, & funestis conciliabulis intra vrbem seu in suburbanis esse videantur, omnino propellantur.

Ibidem l. 11 Item ista: Locum in quo vetita tentantur, si cohibentia (siue conniuentia) Domini patuerit, censemus fisci nostri viribus aggregari. Quòd si eum qui possessionem habet (quippe clanculū gestum) ignorasse cōstiterit, conductorem eius fundi si ingenuus est, decem libras fisco nostro inferre præcipimus; si seruili fece descendens paupertate sui pœnā damni ac vilitate cōtemnit, cæsus fustibus deportatione dānabitur. Pœnas autem adhibuisse se scribunt, ne hæreticorū dementia conaretur perpetrare quę vellet. Eorundē etiam ista

Ibidem l. 14

Ibidem lib. 8 Lex est: Eunomiani spadones, nec faciendi, nec adipiscendi habeant licentiam testamenti. Cui similis etiam lex est cōtra Manichęos.

Ibidem l. 30.

Ibidem l. 19 Est & alia lex eorundem, qua omnis denegatur hæreticis facultas militādi, aut inter agentes in rebus, aut inter Palatinos; quinimò extra vrbis mœnia arcentur. Meminit & alterius legis generalis in hæreticos Theodosij

August. epist. 48. & 50. D. Augustinus, qua in conuictos decem libra-rum auri pœnam constituit, quæ lata est Arcadio

cadio 11. & Rufino Coss. & exstat etiam in God. Theodosiano; & peculiaris legis aduersus Donatistas, de pecuniarijs damnis, etiã in clericos seu ministros eorum exsilio constituto. Quinetiam & alterius legis, cuius auctoritate ipsi Donatistæ Maximinianistas tãquam hæreticos expellebant. Earundẽ etiam mentionem facit Nicephorus. Quid? quòd ab ijsdem hoc edictum sit prolatum: Hi qui sibi tantummodò colligendi existimant copiam contributam, si turbulentũ quidpiam contra nostræ tranquillitatis præceptum faciendum esse tentauerint, vt seditionis auctores, pacisque turbatæ Ecclesiæ maiestatis, capite ac sanguine sint supplicia luituri. Videre est plures eiusmodi leges in Cod. Theodosiano, ad quas haud dubiè alludit D. Hieronymus, Panegyrici pro Theodosio mentionem faciens his verbis: Et vtilitatem legum futuris seculis consecrasti.

Nicepb. Eccles. hist. lib 10. c. 13 & l. 21. c. 9 & 15. Ibidẽ l. 24. & 26. de hæreticis.

Hieron. ep. ad Paulinũ.

CAPVT XVII.

Quòd patrũ Theodosij vestigia sint secuti Arcadius & Honorius eius filij, ac Constantius ipsius gener, Cæsares.

POtrò Arcadij & Honorij tot exstant aduersus hæreticos Constitutiones, vt prolixitas videatur molestior futura si omnes integræ

tegræ recitentur. Sufficient sequentes, quibus (vt ait Nicephorus) cõfirmarunt quæcunque pij decessores pro Ecclesijs statuerunt, persuasum sibi habentes, victorias patri ea de causſa contra tyrannos optimè succeſſiſſe. Atque imprimis Arcadius: Omnes pœnas, inquit, cuncta supplicia, quæ sanctionibus diuæ recordationis genitoris nostri aduersus hæreticorum sunt pertinacem spiritum constituta, nostro etiá decreto decernimus. Idem: Nequis, inquit, hæreticorum, quos iam Leges innumerę diui genitoris nostri continent, audeat cœtus illicitos congregare, nec publicè, nec priuatim, nec in secreto, nec palam. Et ad Rufinum idem: Ne, ait, hæreticorũ dementia vlteriùs conetur perpetrare quæ repererit, nec illicita habere concilia, nusquam prophana præcepta vel docere vel discere; néue eorundem Antistites audeãt fidem insinuare quam non habent, & ministros creare quod non sunt. Arcadius autem & Honorius coniunctim hanc Legem condiderũt: Cuncti hæretici proculdubiò nouerint, omnia sibi loca huius vrbis adimenda esſe; siue sub Ecclesiarum nomine teneantur, siue quæ diaconica appellantur, vel etiam decanonica, siue in priuatis domibus vel locis priuatis fisco nostro incorporandis. Præterea omnes clerici hæreticorum

Nicephor. Eccleſ. hiſt. lib. 13. c. 1.

Cod. Theod. leg. 15.

Ibidem l. 16.

Ibid. l. 20.

ticorum, ex ſacratiſſima vrbe pellantur, neque hic liceat conuenire. Ad huc interdicatur his omnibus, ad letaniam faciendam intra ciuitatem noctu vel interdiu prophanis coire conuentibus. Et ne aliqui hæreticorum putarent in genere facta edicta, ad ſe non pertinere, etiam nominatim promulgarunt ſententiam, præſertim in ſingularum hæreſeôn doctores ac clericos, vtpote Eunomianos, Apollinariſtas, Montaniſtas, Donatiſtas, Manichæos, Phryges, & Priſcillianiſtas. Augentes præterea pœnas in procuratorem & dominum poſſeſſionis, in qua ijs conſciis ac tacentibus damnati conuentus probabantur agitati. Militare etiam in Palatio prohibentur, qui ab eis fide & religione diſcordãt. Quinetiã & in Iudices ac defenſores vrbis, & officia prouincialia, pœnam decem librarum auri ſtatuunt, qui in exequendo negligentiores fuerint. Acriorem etiam pœnam cõminatur Honorius tanquã in ſeditioſos, ſi contra prædictas Leges conuenerint. Immo & proſcriptos eos declararunt in exilium, qui auderent diſputare ea & adferre quæ inſtitutio diuina condemnat. Receptatoribus etiam & librorum hæreticorũ detentoribus vltimum ſupplicium comminati, & clericis ſeu miniſtris hæreticorum, ſi poſt publicatam exilij

Ibid. l. 21. 22. 24. 25. 26. 27. & 30.

Ibidem l. 31.

Ibidem l. 14. & 30.

Ibidem l. 25.

Ibidem l. 30.

Ibidem l. 24

iussionem in qualibet vrbe vel domo fuerint
Ibidem l. 34 depræhensi. Similia etiam constituerunt Ar-
47. & 49. cadius, Honorius, ac Theodosius iunior; Ar-
Ibidem l. 37 cadius ac Theodosius ; item Honorius ac
& 46. de Theodosius. Celebratur quoque edictũ Ho-
hæret. ac l. 2. norij in hæc verba : Rescriptum quod abs Iu-
Cod. Inst. de liano Imperatore impetrarunt, programma-
relig. te publicandum est, vt Donatistarum desperatio fucataque perfidia omnibus innotescat. Aliaque similia contra eosdem Donatistas.
Cod. Theod. Exstat & alia Honorij lex Rauennæ data Con-
l. 54. de stantio & Constante Coss. biennio post sen-
hæret. tentiam Marcellini edita, qua Donatistas hæreticos pronunciauit, qua eos vti ante Theodosius intestabiles declarauit, cuius etiam
Aug. in fin. meminit D. Augustinus. Quam iterum con-
l. 1. cõt. Petil. firmauit ijsdem Coss. post obitum Marcellini ; addens morte cognitoris perire non debere publicã fidem. Adnotatu verò dignum,
Idẽ ep. 129. quòd viuo Stilicone (adnotauit D. August.) calumniatos Donatistas leges in Africã missas à Stilicone magis quàm à filijs Theodosij missas; sed eo mortuo nihil tale ab ijs dici potuisse. Itaque ad querelam Donatistarum de dictis legibus filiorum Theodosij, respondet
Idẽ ep. 166. idem D. Augustinus eascõfirmare iudicium Constantini, Valentiniani, Gratiani, Theodosij. Est etiam penes me M.S. edictum desumptum

sumptum ex Vet. Cod. antiquorum Canonum S. Vedasti contra Pelagiũ & Cęlestium, primùm Mileuitano, deinde Carthaginiensi concilio damnatos hæreseos, datum Rauennæ Honorio 12. & Theodosio 8. Coss. ad Palladium præfectum Prætorij, in quo hæc verba leguntur: Ob quam rem illustris auctoritas tua, victura in omne æuum lege nos statuisse cognoscat; vt pulsis ex Vrbe primitus capitibus dogmatis execrandi Cælestio atque Pelagio, si qui huius de cętero sacrilegij sectatores quibuscumque locis potuerint reperiri, aut de prauitate damnata aliquęm proferre sermonem, à quocunque correpti ad competentem iudicem perrahantur, quos, siue clericus, siue laicus fuerit, deferendi habeat potestatem, &c. Ita vt probationem conuicti criminis stilus publicus insequatur, ipsis inexorati exilij deportatione dãnatis. Eorundem extant etiam epistolæ Imperiales Rauennæ datæ eiusdem tenoris tam ad Aurelium Carthaginiensem, quàm ad D. Aug. Episcopos, in quibus post mentionem dictæ suæ legis hæc subinferunt: Sed quia obstinati criminis pertinax malum, vt constitutio geminaretur, exegit; recẽti quoque sanctione decreuimus, vt si quis eos in quacumque prouinciarũ parte latitare non nesciens, aut propellere aut

prodere distulisset, præscriptæ pœnæ velut particeps subiaceret. Ac paulo pòst: Religio ergo tua competentibus scriptis vniuersos faciat admoneri, scituros definitione sanctimoniæ tuæ, hanc definitionẽ sibi esse præscriptã; vt quicumque damnationi suprà memoratorum subscribere impia obstinatione neglexerint, Episcopatus amissione multati, interdicta in perpetuum, expulsi ciuitatibus, cõmunione priuentur, &c. Vna enim eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando cohibentiam, aut non damnando fauorẽ noxium præstiterunt. Flauius etiam Constãtius, nobilissimus Cęsar, cui Placidia soror Honorij Rauennæ nupserat, in sacra sua epistola quæ ibidem extat, de Cęlestio hæc ad Volusianum Præfectum vrbis scripsit: Ea quæ iamdudum iusseramus, præcipimus iterari; vnde his lectis Eximietas tua omnes qui Dei inuident pietati diligenter inquirat, & eos faciat statim è muris Vrbis expelli, tamen nec intra centesimum quidem lapidem habeant licentiã consistendi. Cælestium verò magis ac magis ex Vrbe pelli mandamus. Et paulo pòst: Sanè deinceps si tale quicquam fuerit nunciatum, officium præstantiæ tuæ capitali sententia subdendum esse cognoscet. Extat in eodem Codice & ipsum exemplar edicti aduersus

uersus Cælestiũ propositi à Volusiano Vrbis Præfecto, quo is qui latebram illi concesserit, iubetur pœnã proscriptionis incurrere. Item iuxta mandatum Honorij & Theodosij AA. iamcitatum, Iunij, Quarti, Palladij, Monaxij & Agricolæ, iterum præfectorum Prætorio quo dixerunt: Pelagium atque Cælestiũ Catholici dogmatis fidem suis tractatibus destruẽtes, sententia principalis incaluit, vt venerabili Vrbe summoti, bonorũ concilio multarentur. Et si sit ille plebeius aut clericus qui in caliginis huius obscœna reciderit, à quocunque tractus ad iudicem, sine accusatricis discretione personę, facultatum publicatione nudatus, irreuocabile patietur exsilium.

CAPVT. XVIII.

Quòd filij eorundem, Arcadij Theodosius, ac Constantij Valentinianus tertius, similes leges promulgarint.

ATqui Theodosius Iunior Arcadium patrem per omnia imitatus, in decernendis similiter pœnis in hæreticos non postremus fuit. Exstant autem hæ ipsius leges. Vna: Defensorum curialium omniumque officialium specula custodiat, ne quis intra aliquam ciuitatem, qui ab Ecclesiastico sacerdote Catholico dissidet, illicitæ cohabitationis ha- L. 35.

Ibid. leg. 51 beat facultatem. Altera: De hæreticis omnibus (quorum & errorē execramur & nomen) hoc est, de Eunomianis, Arianis, Macedonianis, ceteriſque omnibus quorum ſectas pijſſimę ſanctioni tædet inſerere, quibus cunctis diuerſa ſunt nomina, ſed vna perfidia; illa præcipimus debere ſeruari, quæ diui auus & *Ibidem l. 46 & 53.* pater noſtræ clementiæ conſtituerint. Rationem etiā interdicti reddit in alijs ſuis Conſtitutionibus; ne quà vera diuinaque reuerentia contagione criminoſorum temeretur. Immo neque extra Vrbis muros conuentus *Ibidem l. 43* permittere voluit. Iouianum, inquit, ſacrilegos agere conuentus extra muros vrbis ſacratiſſimæ, Epiſcoporū querela deplorat. Quare eum corripi præcipimus, & contuſum plūbo, cū cæteris ſuis comparticipibus & miniſtris, *Ibidem l. 19* exſilio coërceri. Ne forte autē ab aulicis ſuis ſeduci quis poſſet, diligentiſſimę inueſtigari præcepit, an aliqui hæreticorū vel ſcrinijs, vel inter agentes in rebus, vel inter Palatinos cum legum ſuarum iniuria audeāt militare, & de- *Ibidem l. 36* prehenſos extra mœnia iuſſit arceri. In Iudices item negligētiores deportationis pœnam & propriarū facultatū amiſſionē ſtatuit. No- *Cod. Iuſtin. l. 1. tit. 4. l. 6. de hær.* minatim etiā & in Neſtorianos ſuo tempore exortos leges tulit. Damnato, inquit, portētoſę ſuperſtitionis auctore Neſtorio, nota congrui nomi-

nominis eius inuraturgregalibus,ne Christianorũ appellatione abutantur, sed Nestoriani vocentur. Nec verò libros impios Nestorij habere, aut legere, aut describere quispiam audeat,quos diligẽti studio requiri,& publicè cõburi decernimus: nemo etiam quibusdam eorum habendi concilij gratia in ædibus,aut villa,aut suburbano suo, aut alio quolibet loco conuenticulum, clam aut apertè præbeat; scientibus vniuersis, violatorem huius legis publicatione bonorum esse coërcendum. Exstant eiusdem etiam duę Leges aduersus Donatistas, Felice & Tauro Coss. quibus inter cetera,Ecclesias eorum,proprietati potestatique Ecclesiæ Catholicæ adtribuit; quarũ frequẽs est etiam mentio apud D. Augustinum. Item & in Montanistas, eorumque receptatores, seu potiùs eosdem Montenses Romæ dictos. Et alia generalis Lex eiusdem: Desperatis morbis nulla est adhibenda curatio,ideò ne ferales sectæ licentiùs euagentur, hac victura in omne æuum Lege sancimus,vt bona sua proscripta cernat, mox pœnæ sanguinis destinãdus,quicunq; vitam alterius expugnauit peruersa doctrina. Acerbissimam denique Legem & generalẽ in hæreticos ita cõcludit: Omnia ita custodiri decernimus,vt nulli Iudicum liceat delatum ad se crimẽ minori aut

Cod. Theodos. l 21. & 44.

Aug. ep. 50. Tract. 6 in Ioan. & l. 2 contra Petil. Cod. Theod. l. 46.

In Nouell. Theod de Ind. Hæret. & Pag.

Cod. Theod. l. 56.

nulli coërcitioni mandare, nisi ipse id pati velit, quod alijs dissimulando cõcesserit. Cæterùm cùm Valentinianum III. Imperij consortem declarasset, iterum Leges priores renouasse legitur. Huc pertinet illud aduersus Donatistas Imperatorum Theodosij & Valentiniani ad Faustum: Circa hæreticos & schismaticos exercẽda maximè commonitio est, qui prauis suasionibus à venerabilis Papæ sese cõmunione suspendunt, quorum schismate plebs etiá reliqua vitiatur. Item: Hæreticorum vita est reprimenda insania, vt ante omnia quas ab orthodoxis abreptas tenent vbicunque Ecclesias, statim Catholicæ Ecclesiæ tradendas esse non ambigant; quia fieri non potest, vt qui nec proprias habere debuerant, ab orthodoxis possessas aut cõditas, suaque temeritate inuasas, vltrà detineãt. Denique lex illa generalis quam trabalẽ, id est, indissolubilẽ vocabant: Ariani, Macedoniani, Pneumatomachi, Apollinariani, Nouatiani, seu Sabbatiani, Eunomiani, Tesseradecatitæ, Valentiniani, Pauliani, Papianistæ, Marcionistæ, Borboritæ, Messaliani, Euchitæ seu Enthousiastæ, Donatistæ, Audæani, Photiniani, Pauliniani, Marcelliani, Ophitę, Encratitæ, Carpocratitæ, Sacrophori, & cęteri qui ad imam vsque scelerũ nequitiam peruenerint, nusquam

Ibid. l. 53.

Ibid. l. 56.

C. Iustinian. lib. 1. tit. 5. l. 5. de hæret.

nusquam in Romano solo conueniendi morandique habeant facultatem, Manichæis etiam de ciuitatibus pellendis,& vltimo supplicio tradendis,&c. Cunctis legibus quæ contra eos cæterosque qui nostræ fidei refragantur, olim latæ sunt, diuersisque prolatæ temporibus,semper viridi obseruantia valituris,&c. vt ne speciale quidem beneficium aduersus Leges valeat impetratum. Reliqua quibus suprà dictæ pœnę exprimuntur,compendij gratia prętermittimus. Hoc adiiciendũ putauimus: Quum lex hęc postrema non nisi post obitum D. Augustini lata sit,vtpote Theodos. Augusto xvij. Coss. hinc constare verum esse illud Augustini epist.61.ad Donatum Africæ Procoss. Non enim tu in eos ius gladij vllis legibus accepisti aut Imperialibus constitutis. Sed quæ sit ea de re S. Augustini sententia,infrà latiùs cap. 21. & 25.

CAPVT XIX.

Quòd Legibus etiam hæreses compescuerint Martianus, Leo 1, Iustinus vterq., Iustinianus & Cõstantinus Pogonatus, Imperatores.

MArtianus Imperator (testibus Euagrio & Nicephoro) in primis illud studuit, vt vnum & communem ab omnibus, sublatis è medio hæresibus, Deo cultum of- Euag. Eccles. hist. l. 2. c. 1. Niceph. l. 15 cap. 1.

ferret, & Ecclesia per coniunctionem vnita, sententiam & Religionem vnam coleret. Vnde & post hæresim Eutychetis & Dioscori damnatam in Concilio Chalcedonensi, inter generales Synodos numero quarta, nõ modò hæresiarcham Dioscorum Gangrum exulare iussit, sed & aduersus hæreticos eiusdem factionis (vnà cum Valentiniano adhuc superstite, si Codici Iustinianæo creditur) plures Leges sanciuit. Quod manifestum fit ex sacra Cõstitutione Martiani ad Palladium post dictam Synodum edita, cuius pars magna in dictum Codicem relata est: Licet, inquit, iam iamque sacratissima constitutione mansuetudinis meæ cautum definitumque sit, quæ in eos seueritas exercenda sit, qui Eutychetis vel Apollinaris hæreticam peruersitatẽ secuti, à Religione & fide Catholica deuiarũt, &c. necessarium fuit, ea quæ antè sanximus, repetita nunc etiam Lege decernere. Quicunque igitur Eutychetis prophanam peruersitatem sequuntur, &c. sciant se esse hęreticos Apollinaristas, adeóque illis pœnis quę Diuorum retrò Principum Cõstitutionibus cõtra Apollinaristas, vel hac ipsa Augustissima Lege contra eosdem decretę sunt, nouerint se plectendos. Idcirco secundum sacratissimas Diuorum retrò Principum Constitutiones, quæ de

Idem apud Niceph. c. 5.

Concil. Tom. 2. pag. 215.

Vbi prius, & C. Quicunque l. 8. eod. de hær.

de Apollinaristis promulgatę sunt, nō habeāt potestatem faciendi testamenti, neque id capiant quod ipsis ex testamento cuiusquam fuerit delectum, nihil etiam ex donatione aliqua consequantur, sed si quid in ipsos vel viuentis vel morientis fuerit liberalitate collatum, id fisco nostro protinus addicatur. Ipsi verò in nullos aliquid ex facultatibus suis donationis titulo & iure transfundant. Episcopos verò vel clericos illos creare & habere non liceat: & pœnam alioqui exsilij & facultatum suarum amissionem subituros, tam qui creauerint, tam qui impositum sibi nomen sacerdotale retinuerint. Eos verò qui antea clerici vel monachi hęresin hanc sectati sunt, vel postea sectabuntur, omnibus pœnis quæ vel hac vel prioribus Legibus aduersus hęreticos constitutę sunt, iubemus teneri, & extra ipsum Romani Imperij solum pelli, sicut de Manichęis prędecessorum legum statuta sanxêre. *Vtrobique.* Non Ecclesias, non Monasteria sibi construant, parasynaxes & conuenticula tam diurna quàm nocturna non contrahant. Quod si fecerint, domino volēte, domus vel possessio in quam conuenerint, fisco, Monasterium verò, eius Ciuitatis orthodoxæ Ecclesiæ in cuius territorio est, iubemus addici. Si verò ignoráte domino, sciente verò qui pensiones

domus

domus exigit vel conductore, vel procuratore, vel actore prædij: si vilis & abiectæ conditionis fuerint, fustibus publicè coërceantur; si honestæ verò personę, decem libras auri mulctę nomine fisco nostro cogãtur inferre. Nullum præterea Eutychianistã ad aliquam iubemus aspirare militiam. Nulli insuper eorum publicè vel priuatim aduocandi cœtus, & hæretico more disputandi sit facultas; nulli etiam contra venerabilem Chalcedonensem Synodum liceat aliquid dictare, vel scribere, vel edere, aut aliorum super eadem scripta proferre; nemo huiusmodi libros audeat habere: quòd si qui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnẽtur: eos verò qui discendi studio audierint de infausta hæresi disputantes, decem librarũ auri iubemus subire dispendium. Vltimo etiam supplicio coërceantur qui illicita docere tentauerint. Omnes verò huiuscemodi chartę ac libri incendio concrementur. Et sub finem: Scientibus moderatoribus prouinciarum, eorumque apparitoribus, defensoribus etiam ciuitatum, quòd si eaquę legis huius Religiosissimę sanctione custodiẽda decreuimus, aut neglexerint, aut aliqua permiserint temeritate violari, denarum librarum auri mulctam fisco nostro cogentur inferre; insuper etiam existi-

existimationis suæ periculum sustinebunt; Denique haud dissimiles tum Martiani, tum Valentiniani aliæ duæ Leges exstant eiusdem Cod. L. 1. quarum prior tres etiam rationes continet, quare meritò interdicatur vulgaris disputatio de his quę Concilijs statuta sunt. Porrò Leo quoque Imperator Imperij sui principio (sicuti testantur Episcopi Ægyptij) priorum omnium pijssimorumque Principum constituta pro orthodoxa religione firmauit. Atqui à prędecessoribus suis nihil discrepás Iustinus Imperator, & Legum probatissimarum meminit epistola ad Hormisdam Papam, quibus firmati sunt qui rectam tenebant, & correcti qui vagabantur incerti, & Seuerum Antiochenæ sedis occupatorem tyrannum, præcisa imprimis lingua ob blasphemias hæreticas, fuga salutem sibi cõsulere coëgit. Iustiniani porrò eius filij exstat Notella aduersus Anthimum, Seuerum, & Petrum hæreticos, in qua hæc inter cętera reperire est: Sancimus, inquit, vt vnusquisque eorum silentiũ agat, & neque vllos in vnum conuocent, neque adeuntes recipiant, neque improbato more baptizare aut sanam communionem defœdare, & aliquibus eam distribuere, aut vetitas doctrinas explanare audeant, vel in Regia hac nostra Vrbe vel alia

C. Nemo. l. 3. de summa Trinit. c. Si qui. l. 9. de hæret.

Epist. l. 1 ad Leon. Imper. T. 2. c. cit. pag. 225.

Apud Nicephor. lib. 17. cap. 2.

Nouella 42

&

& nihil non periculi reuereantur, siquid tale perpetrauerint. Et: In vniuersum omnibus interdicimus, nequid librorum Seueri compareat, neque Seueri scripta dictáue apud quem Christianorum maneant, sed profana sunto, & à Catholica Ecclesia aliena, ignique comburuntor à possessoribus, nisi illis retinendis in periculum adduci velint; quod ante nos Imperatores de Porphyrij scriptis aduersus Christianos editis censuerunt. Eandem sententiam amplexum fuisse Iustinum Iuniorem, eius ex sorore nepotem, ex epistola eius constat: Pacem (inquit) Christus promulgat omnibus hominibus. Id verò aliud non est, quàm in eum credentes, in vnam & eandem Ecclesiam conueniant, cõsentientes quidem animis in recta Christianorũ sententia, auersantes autem eos qui contraria dicunt & opinãtur. Primaria namque satis hominibus omnibus constituta est ipsa rectæ fidei confessio.

Apud Nicephor. lib. 17. cap. 35.

Synod. 6. sess. 18.

Rursum Constantinus Pogonatus, Imperator Constantinopolitanus, confirmans Decreta de hæreticis sextæ Synodi, pœnas etiam adijcit non obtemperantibus, Episcopis quidem, clericis, & monachis, deportationis; dignitatem sæcularem obtinentibus, proscriptionis; laicis verò idiotis, exilij. Denique Alexius Comnenus Imperator, Constantinopoli Basi-

Basilium, seu medicum, seu monachum Bogomilorum Ducem comburi fecit.

CAPVT XX.

Quòd exteri etiam Principes hæreticos in sua ditione persecuti sint.

IMprimis hîc occurrit Maximus Britannus, etsi tyrannus, Catholicus tamen; is Gratiano cæso, ad Valentinianum scribens (vti sacrę habent historię) Imperatorem se renunciatum significans, eum vt bellum cum vera pietate gerere superfederet, paternamque Religionem integram atque illęsam conseruaret, cohortatus est, minis etiam, nisi obscūdaret, additis. Deinde (Sulpitio Seuero teste) oppidum Treuirorum ingressus, vbi intellexit nouum motum Priscilliani & sociorum eius hęreticorum, datis ad Prętectum Galliarum, atque ad Vicarium Hispaniarū litteris, omnes omnino quos labes illa inuoluerat, ad Synodum Burdegalēsem deduci iubet. Ibi Priscillianus ne ab Episcopis audiretur, ad Principem prouocauit. Ita omnes quos caussa inuoluerat, ad Regem deducti. Postea Imperator caussam præfecto Euodio permisit, viro acri & seuero. Qui Priscillianum gemino iudicio auditum, conuictumque maleficij, nec diffitentem obscœnis se studuisse doctrinis, noctur-

Nicephorus lib. 11. c. 20.

Seuer. sacra. hist. lib. 2.

nocturnos etiam turpium feminarum egisse conuentus, nudumque orare solitum, nocentem pronunciauit, redegitque in custodiam, donec ad Principem referret. Gestis ad palatium delatis, cẽ fuit Imperator, Priscillianum socios que eius capitis dãnari oportere. Quod factum etsi Seuerus non laudet, eo quòd accusatores fuerint Episcopi, alioqui saris suã sententiam ostendit his verbis: Episcoporum studium in expugnandis hæreticis non reprehenderem, si non studio vincendi plus quàm oportuit certassent. Certè Burdegalẽsis Synodi decreto factum id fuisse, postea defendit Ithacius, & D. Hieron. tamquã rectè factum laudans: Quid loquor, inquit, de Priscilliano? qui & sæculi gladio, & totius orbis auctoritate damnatus est. Apertissimè autem illud sicuti approbandum est approbat D. Leo papa primus in hæc verba: Meritò (inquiens) patres nostri, sub quorum temporibus nefanda hæresis (Priscillianistarũ nempe) prorupit, per totum mundũ instanter egere, vt impius furor ab vniuersa Ecclesia pelleretur; quando etiam Principes mundi ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, vt auctorem eius, ac plerosque discipulos, Legum publicarũ ense prosternerent. Videbant enim omnẽ curam honestam auferri, omnem coniugiorum copulam

Adu. Pelag. epistola ad Ctesiphont.

Leo Primus Epist. 93. ad Turib. Asturic. Episc.

pulam ſolui, ſimulque diuinũ ius humanumque ſubuerti, ſi huiuſmodi hominibus vſquã viuere cum tali profeſſione licuiſſet. Et profuit diu iſta diſtrictio Eccleſiaſticæ lenitati; quæ etſi ſacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit vltiones; ſeueris tamen Chriſtianorum Principum Conſtitutionibus adiuuatur, dum ad ſpiritale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale ſupplicium. Præterea Maſſaliani hæretici (Theodoreto teſte) Syria exacti ſunt; deinde à quibuſdam citra Phænicen Principibus neci traditi (qui inde ſe Martinianos appellabant) eo quòd (inquit Epiphanius) adulterent veritatem, & imitẽtur Eccleſiæ mores, cùm non ſint Chriſtiani; nominatim verò à Luppiciano Prætore. Manes quoque Manichæorum auctor (vti idem Epiphanius ſcribit) cùm præſumptione quadam Perſarum Regis filium curaturum ſe iactitans nihil effeciſſet, in carcerem primùm coniectus eſt: inde fugitiuus in Romaniam ad Marcellum virum per omnia Chriſtianum, in Cæſarea Meſopotamiæ habitantem, ſcriptis ad eum litteris ſeducere tẽtaſſet; Epiſcopus Archelaus, cognito acceſſu ipſius, habẽs in ſeipſo cum doctrina etiam fidei feruorem ac æmulationem, volebat, ſi id poſſibile fuiſſet, ſtatim virum velut pardalim aut

Theod. Eccl. hiſt. l. 4 c. 10

Epiph. hæreſ. 80. Maſſal.

Idẽ hæreſ 66

lupum, aut aliam quandam feram bestiam captam morti tradere, vt ne talis feræ incursu pecora corrumperentur; Marcello magis cupiente vt per longanimitatem ac patientiam disputatio aduersus ipsum ab ipso fieret. Quum hęc ita se haberent, & Archelaus opinionum illarum refutationem comprehendisset; ecce Manes adest cum viris quos secum ducebat. Statim igitur veniũt ad publicam disputationem in ipsa vrbe Caschari priùs iudicibus delectis. In qua tandem victus Manes iudicum iudicio, hinc cùm aufugisset populo volente ipsum lapidibus obruere, rursum alibi in pago Diodoride turbas cum cieret, & iterum à Tryphone Presbytero, & Archelao Episcopo disputatione victus, fuga elapsus esset in castellũ Arabionis, Rex Persarum in Persidem pertraxit, & cutem ipsius harundine excoriari iubet; sic de illo pœnas sumpsit. Vnde & excoriato harundine vtrem ipsius paleis expletũ etiã tum in Persida habitum scribit idem Epiphanius. Denique multis retrò seculis Cabades Persarum Rex alter (Zonara & Euthymio testibus) senatusconsulto Manichæos ad vnum omnes vno die sustulit.

Zonaras histor. T. 3. Euthymius part. 2. Tit. 23.

CA-

CAPVT XXI.

Quòd concors sit etiam veterum Patrum sententia, licentiam hæreticis non esse permittendam.

RECtè autem latas eiusmodi Leges ab Imperatoribus, satis vel inde constat, quòd concors sit veterum Patrum sententia, hæreticòs non esse libertatem permittendam; eaque scripturis vtriusque Testamenti fundata, vtiex ipsis eorum testimonijs hic citatis intelligere est; quin etiam Leges aduersus hæreticos à Patribus approbantur. Atque imprimis huc pertinet hæreticorum solennis excommunicatio, quæ ex Christi mandato suprà citato: Sit tibi sicut ethnicus & publicanus: initium sortita, D. Paulo alijsq; Apostolis & Concilijs omnibus vsitata, in hanc vsque diem in Ecclesia perdurat; quæ non decerneretur in hæreticos, si liberum illis esset à fide Catholica recedere, quam semel sunt professi. Deinde sententiæ quoque illæ veteris Testamenti de punitione illorum qui cultum idololatriæ niterétur introducere. Certè Tertulliani pulcra est quæ ad institutum pertinet propositio: Ad officium hæreticos compelli, non illici, dignum est. Duritia vincenda est, non suadenda hæresis. Pulcra est etiam Patrum Concilij Ariminensis ad Constantium

Matth. 18. 1. Tim. 1. 2. Tim. 3. Tit. 3.

Deuter. 13. & 17.

Tertullianus Scorpiaco adu. Gnost. cap. 2.

Athanaſ. de Syn. Arim. Seleuc. & alijs. Imperatorem, teſte D. Athanaſio, ſententia: Id Legatis noſtris ante omnia mandatum eſt vt tuæ Sanctitati oſtenderẽt, quòd nõ (quemadmodum Vrſatius & Valens inquiunt) pax futura ſit, ſi aliqua ex rebus iuſtis ſubuertantur (nam quomodo pacificè agere poterunt, ſi pacẽ tollunt?) ſed potiùs inde contentionem turbationẽque, tum reliquis ciuitatibus, tum Romanæ Vrbi oborituras eſſe Quare ſupplicamus humanitati tuę, vt nihil noui ad cõtumeliam mortuorum inducì permittas; ſed nos ſinas in inſtitutis decretiſque maiorũ per-

Idem ibidem manere. Item vox illa eiuſdem D. Athanaſij: Arius autem, Eudoxius & Patrophylus cùm talia ſcribant, quî quæſo non omni ſupplicio

Cypr. ep. 74. digni ſunt? Eodem pertinere illud D. Cypriani quis dubitet? quòd meritò in dies ſingulos ſchiſmata & hæreſes ſurgunt, crebriùs atque liberiùs excreſcunt, & ſerpentinis criminibus pullulantes aduerſus Eccleſiã Dei maioribus viribus venenorum ſuorum virus exprimunt; dum illis aduocatione quorundam

Optat. cõtra Parm. l. 3. & auctoritas præſtatur & firmitas. D. Optatus quoque Mileuitanus de Paulo, Macario, & Taurino à Conſtante in Africã miſſis, à quibus aliqui ex parte Donati necati, alij ad tempus proſcripti ſunt, eo quòd vnitatem nollent recipere, Sed arguẽdus, inquit, vobis videtur

eſſe

esse Macarius, quod sine voluntate Dei eum æstimatis facere hoc non potuisse. Habetis huiusmodi reos antiquos. Accusate primùm Mosen ipsum legislatorem, qui cùm de Sina monte descenderet, tria millia hominum vno momento iussit occidi. Phineem in iudicium prouocate, si tamen inueneritis præter Deum iudicem aliquem. Recurrite ad Heliam Prophetã, qui in riuo Cison quadraginta & quadringentos occidit. Omnes autem constat in eos vindicasse à quibus iussio diuina contempta est. Nam Dei vox est: Non sacrificabis idolis. Idem etiam Deus locutus est: Et non facies schisma. Quos Helias occidisse legitur, ideò occisi sunt, quia contra iussionem Dei, per quod falsi vates erant, Dei præcepta contempserant. Et illi quorũ nominibus Macarium criminamini, nec à falsis vatibus longè sunt, quia vos dixit Deus futuros esse falsos vates. Ergo videtis à Mose, & Phinees, & Helia, & Macario similia esse facta, quia ab omnibus vnius Dei præcepta sunt vindicata. Quò pertinet illud etiã D. Augustin. Macarius & Taurinus, & Romanus quicquid vel iudiciaria vel executoria potestate aduersus eorũ obstinatum furorem pro vnitate fecerunt, secundum leges eos fecisse constat. Huc etiam pertinet quod scribit D. Basilius: Nũc autem

Exod. 32. Num. 25. 3. Reg. 18. Exod. 22. Aug. contra liter. Petil. l. 3. c. 25. Basil ep. 70. ad Gallia & Italia Episc.

(inquit) metuimus ne quandoque hoc malum acceptis viribus, instar flámę per accensam & ardentem materiam serpentis, seseque effundentis, si quæ vicina sunt corripuerit, etiam remotiora corripiat. Hoc enim hæreseos malum cuncta depascitur; & periculum est, ne vastatis nostris Ecclesijs, & ad sacram incolatus vestri partem serpat. Item illud: Eo amplius ad separationẽ obfirmati sumus, cogitantes fieri nõ posse, vt vel pellẽ suam vmquá mutet Æthiops, vel maculas suas Pardalis; vel qui peruersis est dogmatibus innutritus, malũ hęreseos absterget queat. D. Gregorius Naziázenus mirè ad institutũ nostrũ loquitur, in hęc verba: Exscinde Arianá impietatẽ, exscinde perniciosum Sabellij errorem. Hæc & laicis præscribo, hæc & Presbyteris, hæc & iis quibus Imperium creditum est. Non tantas vires sermo meus habiturus est pro sancta Trinitate bellum gerens, quantas edictum tuum, si peruersis dogmatis imbutos cõpresseris. Et alibi: Si iis qui talia sentiunt (de Apollinaristis loquitur) cœtus habere licet, illud velim cogitet atque expendat tua in Christo illustris prudentia, quòd cùm nobis cum eorum dogmatibus non conueniat, cœtus potestatẽ illis factam esse nihil aliud est quàm eorum doctrinã nostra veriorem existimare.

Idem epist. recens addit. n. 15.

Gregor. Nazianz. homil. in dict. Euang.

Idem epist. ad Nectar.

Nam

Nam si illis vt pijs & orthodoxis ea quæ sentiunt docere libereque promulgare permittitur, quis non videt Ecclesiæ sententiã damnari, perinde ac veritate ab illorum partibus stante? Quomodo igitur excelsus & præstãs animus tuus ad tanti mali depulsionẽ & correctionem consueta libertate non vti sustinuit? Verùm etiam si nondum hoc factũ est, saltẽ nunc tua virtus excitetur, piẽtissimumque Imperatorem doceat, nihil ex reliquo ipsius erga Ecclesias studio rediturũ esse vtilitatis, si tale malum ad fidei sanæ euersionem per eorum libertatem licentiamque præualeat. DD. Chrysostomi & Ambrosij sententiã intelligere est ex locis infrà citatis cap. 23. D. Hieronymus apertè etiam suam mentem his verbis aperit, tractans illud Apostoli: Modicum fermentum totam consperssionẽ fermentat. Fermentum, inquit, cuius ad aliam partem in Euangelio parabola temperata est, modica res videtur & nihili, sed cùm farinæ consperssum totã massam suo vigore corruperit, in illius vim trãsit omne quod mixtũ est. Ita & doctrina peruersa ab vno incipiens, vix duos aut tres primùm in exordio reperit auditores, sed paulatim cãcer serpit in corpore, vt, iuxta vulgare prouerbium, vnius pecudis scabies totum commaculat gregem. Igitur &

D. Hieron. in c. 5. epist. ad Galat.

Matth. 16.

Tit. 3.

scintilla statim vt apparuerit exstinguenda est,& fermentum à massæ vicinia semouendum,scindendę putridę carnes,& scabiosum animal à caulis ouium repellendum; ne tota domus, massa,corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur,putrescat,intereant. Arius in Alexandria vna scintilla fuit; sed quia non statim oppressa est, totum orbem flamma eius populata est. D. Augustinus luculentissimè omnium hanc prosecutus est materiam, additis & scripturis & exemplis, quibus probat cogendos ad officium hæreticos: Si quisquam (inquit) inimicum suum periculosis febribus phreneticum factum currere videret in præceps,nónne tum potiùs malum pro malo redderet,si eum sic currere permitteret, quàm si corripiendum ligãdumque curaret? Et tamen tũc ei molestissimus & aduersissimus videretur, quando vtilissimus & misericordissimus exstitisset; sed planè salute reparata, tãtò vberiùs ei gratias ageret, quantò sibi eum minus pepercisse sensisset. O si possem tibi ostendere, ex ipsis Circumcellionibus quàm multos iam Catholicos manifestos habeamus, damnantes suam pristinam vitam & miserabilem errorem; qui tamen ad hanc sanitatẽ non perducerentur, nisi legum istarũ quæ tibi displicent vinculis tamquam phrenetici ligarẽtur.

Aug. ep. 48. ad Vincent. Donatist.

Et

Et paulo pòst : Putas neminem debere cogi ad iustitiam, cùm legas Patrem familias dixisse seruis: Quoscunque inueneritis, cogite intrare? cùm legas etiam Saulum, postea Paulum, ad agnoscendam & tenendā veritatem magna violentia Christi cogentis esse cōpulsum? & Christum audias dicentem: Nemo venit ad me nisi quem Pater attraxerit? Nónne contumacem ancillam data sibi potestate Sara affligebat? Et post multa similia subinfert: Vides itaque iam, opinor, non esse considerandum quod quisque cogitur, sed quale sit illud quo cogitur, vtrū bonum an malum. Non quòd quisquam bonus possit esse inuitus, sed timendo quod non vult pati, vel relinquit impedientē animositatem, vel ignoratam compellitur cognoscere veritatem; vt timens vel respuat falsum de quo contendebat, vel quærat verum quod nesciebat, & volens teneat iam quod nolebat. Ac deinde ad pœnas Imperatorias alludens: His ergo Dominicis lucris impediendis ad contradicendum me opponerem collegis vestris, ne res quas dicitis vestras perderetis, & securi Christū proscriberetis, vt iure Romano testamenta conderetis, & iure diuino conditum testamentum criminationibus calumniosis rumperetis? vt in emptionibus & venditionibus

Ibidem. *Actor. 9.* *Ioan. 6.* *Genes. 21.* *Ibidem* *Ibidem*

liberos contractus haberetis, & vobis diuidere quod Christus emit venditus auderetis? & quod quisque vestrûm cuiquá donasset, valeret; & quod donauit Deus Deorũ, à solis ortu vsque ad occasum vocatis filijs, non valeret? Vt de terra corporis vestri in exsiliũ non mitteremini, & de regno sanguinis sui à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ Christum exsulem facere conaremini? Immo verò seruiant Reges terræ Christo, etiam Leges ferendo pro Christo. Alibi quoque eadem repetens, hæc quoque superaddit: Molestus est (inquit) & medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio; ille ligando, ille cædendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant; ista potiùs mansuetudo falsa, crudelitas est. Si etiam equus & mulus quibus non est intellectus, morsibus & calcibus resistunt hominibus, à quibus eorum curanda vulnera contrectantur; & quum inter dentes eorum & calces sæpè homines periclitentur, & aliquando vexentur, non tamen eos deserunt, donec per dolores & molestias medicinales reuocent ad salutem; quanto magis homo ab homine, & frater à fratre, ne in æternum pereat, non est deserendus; qui correctus intelligere potest, quantum sibi præstabatur beneficium,

Idē Augustin. Epist. 50. ad Bonifac. com.

cium, quando se persecutionem perpeti querebatur? Qui ergo possunt, Catholicorum Principum Legibus, omnes ad salutē vocentur, omnes à pernicie reuocentur. Quia & quando Imperatores pro veritate contra falsitatem constituunt bonas Leges, terrentur sæuientes, & corrigūtur intelligentes. Quicunque autem Legibus Imperatorum quæ pro Dei veritate ferūtur, obtemperare non vult, adquirit grande supplicium. Nam & temporibus Prophetarum, omnes Reges qui in populo Dei non prohibuerunt nec euerterunt quæ contra Dei præcepta fuerunt instituta, culpantur: & qui prohibuerunt & euerterūt, super aliorum merita laudantur. Et Rex Nabuchodonosor, diuino correctus miraculo, piam & laudabilem Legem pro veritate constituit, vt quicunque diceret blasphemiam in Deum verum Sidrac, Misac, & Abdenago, cū domo sua penitùs interiret. Et paulo pòst: Deinde quæro, si boni & sancti nemini faciāt persecutionem, sed tantummodò patiantur; cuius putāt esse vocem in Psalmo: Persequar inimicos meos, & cōprehendam illos, & non conuertar donec deficiam? Et pòstea: Quis mente sobrius Regibus dicat: Nolite curare in regno vestro, quo teneatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri; non pertineat ad vos

Locis supra citatis c. 5.

August. vbi supra.

Psalm. 14.

in

in regno veſtro, quis velit eſſe religioſus ſiue ſacrilegus; quibus dici non poteſt: Non ad vos pertinet, quis velit eſſe pudicus, quis impudicus? Cur enim, cùm datum ſit diuinitus homini liberum arbitriũ, adulteria Legibus puniantur, & ſacrilegia permittantur? An fidem non ſeruare leuius eſt animã Deo, quàm feminam viro? Et deinde: Melius quidẽ eſſe (inquit) quis dubitauerit, ad Deum colendum homines doctrina duci, quàm pœnæ timore vel dolore compelli. Sed non quia iſti meliores ſunt, ideò illi qui tales non ſunt, negligendi ſunt. Multis enim profuit, priùs timore vel dolore cogi, vt poſſint poſtea docere, aut quod iam verbis didicerunt, opere ſectari. Proponunt quidam (inquit deinceps) ſententiam cuiuſdam ſecularis auctoris, qui dixit: Pudore & libertate liberos retinere, ſatius eſſe credo, quàm metu. Hoc quidem verũ eſt. Sed ſicut meliores ſunt quos dirigit amor, ita plures ſunt, quos corrigit timor. Nam vt ex ipſo Auctore iſtis reſpondeatur, apud illum etiã legunt: Tu niſi malo coactus rectè facere neſcis. Porrò autem ſcriptura diuina, non ſolùm ſeruum, ſed etiam filium indiſciplinatum plagis coërcendum dicit. Rurſum idem paulo pòſt: Vbi eſt (inquit) quod clamare conſueuerunt, Liberum eſt credere

Terent. in Adelph.

Idem alibi.

Prouerb. 23.

Prouerb. 13.

vel

vel non credere : cui vim Christus intulit? quem coëgit? Ecce habent Apostolum Paulum, &c. Et post aliquot columnas: Quis nostrûm velit non solùm aliquem illorum perire, verumetiam aliquid perdere? Sed si aliter non meruit pacem habere domus Dauid, nisi Absalon eius filius in bello quod contra Patrem gerebat, fuisset exstinctus; quid ei restitit, nisi perditum flere, & sui regni pace acquisita suam mœstitiam cõsolari? Sic ergo Catholica mater, bellantibus aduersus eam quid aliud quàm filijs suis, si aliquorum perditione, cęteros tam multos collegit, dolorem materni cordis lenit & sanat tantorum liberatione populorum. Ac paulo pòst: Si duo aliqui in vna domo habitarent quam certissimè sciremus ruituram, notisque id prænunciantibus nollent credere, atque in ea permanere persisterent, si eos inde possemus vel inuitos eruere; puto nisi faceremus, non immeritò crudeles iudicaremur. Pulcrum est etiam eiusdem D. Augustini, post factam mentionem Legum Imperialiũ epiphonema. Quia est peior mors animæ, quàm libertas erroris. Eodem pertinet etiam illud: Displicet tibi quia traheris ad salutem, quia neminem existimas cogendum esse ad bonum. Attende quid Apostolus dixerit: Qui Episcopatum desi-

Act. 9.

2. Reg. 18.

Aug. ep. 162

Idē ep. 204.

1. Tim. 3.

desiderat, bonum opus concupiscit. Et tamen tam multi vt Episcopatum suscipiant tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni. Quáto vos magis ab errore pernicioso, in quo vobis estis inimici, trahendi estis? &c. Alio item loco D. Augustinus: Mirantur autem (inquit) quia commouentur Potétates Christianæ aduersus detestandos dissipatores Ecclesiæ, hæreticos, schismaticos, exufflatores Christi, blasphematores baptismi? Si non ergo mouerentur, quomodo redderent rationem de Imperio suo Deo? Intendat charitas vestra quid dicã, quia pertinet hoc ad Reges seculi Christianos, vt temporibus suis pacatã velint habere suam matrem Ecclesiam, vnde spiritaliter nati sunt, &c. vbi repetit exẽplum Nabuchodonosor. Ac paulo pòst: Talia facere volunt, & saltem talia pati nolunt. Occidunt animas, affliguntur in corpore, sempiternas mortes faciunt, & tẽporales se perpeti cõqueruntur. Itaque si passa es, ô pars Donati, corporalem afflictionẽ ab Ecclesia Catholica, à Sara passa es Agar: redi ad dominam tuam. Rursum alibi: Quin etiam audet conqueri Parmenianus, quòd eos Constantinus ad Campum, id est, ad supplicium duci iusserit,

Augustinus Tract. 11. in Ioan.

Dan. 3.

August. l. 11 cont. Parm. cap. 7.

iſſerit,& hoc eum tanquã immaniter iuſſiſſe criminatur. Quid autẽ non iſti iuſtè patiuntur,& meritò criminũ,& ordine poteſtatum? Priùs probent ſe non eſſe hæreticos vel ſchiſmaticos, tum demùm de indignis pœnis ſuis inanidam ſuam emittant vocem. Quid iſti tale patiuntur,quale faciunt? Nos corporum perſecutores vocant, ſe animarum interfectores non vocant. Et alio loco, quod mirè ad inſtitutum hoc quadrat, poſt mentionẽ iteratam Regum Catholicorum exẽplo Nabuchodonoſor: Fruſtra (inquit) dicis, Relinquar libero arbitrio. Cur enim non in homicidijs, & ſtupris, & quibuſcunque alijs facinoribus & flagitijs, libero te arbitrio dimittẽdum eſſe proclamas? quæ tamen omnia iuſtis Legibus comprimi vtiliſſimum eſt. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem, ſed nec bonam infructuoſam, nec malam eſſe voluit impunitã. Et deinde: Quiſquis Chriſtianum (inquis) perſequitur, Chriſti eſt inimicus. Verum dicis, ſed hoc in illo perſequitur quod Chriſto eſt inimicũ. Neque enim dominus ſeruo, pater in filio, maritus in coniuge, cum ſint vtrique Chriſtiani, non debent perſequi vitia Chriſtianæ contraria veritati. An verò ſi non perſequantur, non rei negligentię meritò tenebuntur? Porrò eodem tempore etiam

Idem l. 9. contra Cref. Grãm. c. 51.

Anast. Papa epistola 1.

etiam D. Anastasius Romanus Pontifex non modò approbat Leges Christianorum Principum aduersus hæreticos, ne sanctũ (inquit) gregem sua cõtagione polluerent; sed & ipse Romæ eas executus, easdẽ executioni mandari iubet per Germaniam ac Burgundiam contra Manichæos. hac ratione addita: Aliter enim nobis commissos regere non possumus, nisi hos qui sunt peruersi doctores & perditi, zelo fidei Dominicæ persequamur, & à sanis mentibus, ne pestis hæc latiùs diuulgetur, seueritate qua possumus abscindamus. His adde, quod Gratianus Innocentio 1. (at rectiùs, Felici Papę) adscribit. Et idem ait Victor Carthaginiensis Episcopus epistola ad Martinum PP. 1. Error cui non resistitur, approbatur; & veritas cùm minimè defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cùm possis perturbare peruersos, nihil est aliud quàm fouere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Certè etiam ipsius Diui Innocentij sequentia verba de Pelagio hæretico quin huc pertineant, nemo opinor dubitabit, qui supradictas epistolas Imperatorũ Arcadij & Honorij legerit, ad eosdem quibus hic scribit Episcopos: Sanandum (inquit) hoc virus clericis, ne longiùs execrandus animis morbus inserpat. Vt si medicus cùm putre vulnus

Gratianus Decr. dist. 83 c. Error.

Syn. Laterã. Sess 2. sub Mart. PP. Cõc. Tom 2

Innocentius PP. 1. epist. ad Carthag. & ad Milevit. Cõcilia.

vulnus adſpexerit, adhibet fomenta quibus illud poſſit quod natum fuerat vulnus obduci; ac ſi id manens ſanari non poterit, ne corpus reliqua ſua labe corrumpat, ferro amputat quod nocebat, quo reliquum integrum ſeruet & intactum. Præcidendum ergo id eſt quod velut puro ſanoque nimium corpori vulnus obrepſit, ne cùm tardiùs abſtergitur, in ipſis penè viſceribus huius mali nõ exhaurienda pòſt ſentina conſidat. Huc pertinet etiam admonitio D. Leonis Primi: Si qui ſua obduratione cæcati, ita in reprobi ſenſus amentiam trãſierunt, vt malint furere quàm ſanari; ad Imperialem pertinet poteſtatem, vt perturbatores Eccleſiæ pacis, & Reipublicę (quæ Chriſtianis Principibus meritò gloriatur) inimici ſolicitiùs cõprimantur. Imperialis enim poteſtatis eſt, tumultus publicos ac ſeditiones ſacrilegas ſeueriùs coërcere. Item & hæc Epiſcoporum Ægyptiorũ ad Leonem Imperatorẽ in libello ſuo ſupplici ſententia: Iniuria Dei manifeſta eſt, hæreticorũ abſcindentium ſe à recta fide licentia. Apertiora denique verba D. Gelaſij Papæ ad Fauſtum Magiſtrum Legatum Conſtantinopoli: Veniam ſibi dari proponunt. Legatur ex quo eſt Religio Chriſtiana, vel certè detur exẽplum, in Eccleſia Dei à quibuſlibet Pontificibus, ab

Leo Primus Epiſt. 80. ad Iulian. Epiſc. ſiue 82.

Tom. 2. Cõcil. pag. 225.

Ibid. pag. 308

ipsis Apostolis, ab ipso denique Saluatore veniam nisi corrigentibus se fuisse concessam. Auditum autem ab ipso cælo nō legitur omnino nec dicitur quod eorum voce depromitur: Date nobis veniam, dum tamen nos in errore duremus. Et paulo pòst: Qui Imperatorem lęsisse perhibentur, depelli debuerūt: & in Deum delinquentem Acacium non oportebat excludi? Cui similia habet epistola ad Euphemianum de non condescendendo hæreticis.

CAPVT XXII.

Quòd pleræque Imperatorum Leges ad Ecclesiæ postulationem sint promulgatæ.

NEque verò solùm approbatæ sunt à Patribus veteribus Leges aduersus hæreticos latæ, sed multas ad Ecclesiæ postulationē latas esse, primùm vel ex eo colligitur, quòd post singulas Synodos Oecumenicas diuersorum Episcoporum rogatu conuocatas, nouæ penè Imperatorum Leges in nouos hæreticos publicatæ sint; in eo imitati exemplum Apostoli Pauli, qui contra Iudęos Act. 13. primùm ad Tribunum prouocauit, deinde ad Imperatorem appellauit. Certē Galienus Imperator à Christianis interpellatus anno 260. edixit ne quis Christianis molestus esset; à quo etiā cemi-

cœmiteria illis reddita refert Eusebius. Sic etiam Aurelianus Imperator decretum suum illud in Paulum Samosatenum rogatus à Patribus Antiochenæ Synodi, protulit, si Eusebio creditur. Constantinus quoque I. sententiam Concilij Niceni rogatu Alexandri Alexandrini Episcopi de libris Arij comburēdis, Socrate, Zozomeno & Nicephoro testibus, tum comprobarit; quis dubitet quin instituto Patrum suam aduersus Arium ediderit Constitutionē, quam & ad omnes orbis Episcopos misit? Ita & Theodosius Maior, post condēnatam iterū Synodo Oecumenica II. Cōstantinopolitana prima, Arianorum, item & Macedonianorū hęresim, Constitutionem edidit, vt & Ariani è sacris ædibus deturbarentur, & quicunque Homousion Patri Christū non confiterentur; & Catholici in eorum locum substituerentur. Idem post condemnatam Nestorij hęresin in Ephesina Synodo, solicitante D. Cyrillo Alexandrino Episcopo conuocata, & à Cælestino Papa I. confirmata, plura edicta aduersus Nestoriū edidit, quæ sub finem dicti Cōcilij reperiuntur, quibus tum Nestoriū Petræ exsulare iussit, eiusque substantiam omnem Ecclesiæ Constantinopolitanæ applicari, tum sectatores eius Eunomianos appellati sanciuit, eiusque hæreticos

Eusebius Eccles. Hist. lib. 7. c. 24. Socrat. lib. 1 c. 6. Zozom. l. 1 c. 20. Nicephor. l. 8. c. 18. & 25. Niceph l. 12 c. 13. & 15 In Actis Cōcil. Ephesini ab Ant. Contio editis.

eos libros cremari, neque domum illis aut aliquem locum latenter aut apertè Synodi causſa præberi, ſub pœna confiſcationis bonorú. Quas leges ab eo editas rogatu Concilij Epheſini ex epiſtola ad Imperatores Theodoſium & Valentinianum conſtat. Veſtrę igitur (inquiunt) potentiæ ſupplicamus, quò omnem Neſtorij doctrinā iubeatis auferri à ſanctis Eccleſijs, & inuentos vbicunque codices igni contradi. Si quis autem contemnit quæ ſancta ſunt, veſtræ potentiæ indignationem formidet. Clariùs idipſum fecêre Patres Concilij Chalcedonenſis I. qui tum in ipſis Actis exclamarunt: Ægyptium Dioſcorum hæreticum in exilio. Tum litteras & ad Valentinianum ac Martianum Imperatores, & ad Pulcheriam Auguſtam dederunt, quibus poſt narratam damnationem Dioſcori, Hæc, inquiunt, verè pium veſtrum docemus Imperium, vt & illius malitiam, & in eum prolatæ (quod Deo teſte dicimus) iuſtæ ſententiæ ſinceritatem conſideretis. Credimus enim conſonos nobis fieri & vos pijſſimos & Chriſtianiſſimos Imperatores, ſcientes veſtri venerabilis Imperij circa malos horrorem, & quantā pacis Eccleſiaſticæ geritis prouidentiam. Quibus litteris acceptis quas Leges promulgarint, partim ſuprà Cap. 18. videre eſt, par-

Act. 2. Cōc. Chalcedon. Tom. 2 Cōc.

Vide Act. 3.

partim inter Acta eiusdem Synodi; vbi plures huiscemodi Constitutiones reperire est, quas etiam suis Epistolis D. Leo Papa I. confirmauit; quæ partim Valentiniano & Martiano, partim Martiano soli adscribuntur. Quin etiam, hac vita defuncto Martiano, hæretici Alexandrini putantes se licentiam habere agendi quæ vellent, D. Proterio Patriarcha occiso, varios tumultus concitarant, Timotheo Æluro pseudopatriarcha duce: ad Imperatoris auxilium Catholici, quod solum erat reliquum, oblato libello supplici recurrerunt, quo petierunt vt quæ contra hæreticos secundum prædecessorum Leges sancita fuerant, sui Imperij principio, per Dionysium Alexandriæ alioſque aliarum Prouinciarum iudices effectui tradi mandaret. Quod ipsum accepto dicto libello supplici per Imperatorē ad se misso, petierunt ab eodem variarū Prouinciarum Episcopi, suis ad Leonem Imperatorem Epistolis. Inter quos sic scripsit inter cætera D. Leo I. Pontifex Romanus: Magnū ergo vobis est, vt diademati vestro de manu Domini etiā fidei addatur corona, & de hostibus Ecclesiæ triumphetis. Quia si laudabile vobis est, aduersarum gentium arma conterere; quanta erit gloria, ab insanissimo tyrāno Alexandrinā Ecclesiam (in cuius contritione

Ibidem & Act. 16.

Niceph Eccles. hist. l. 15. c. 16.

Conc. T. 2. pag. 232. & seqn.

Leo PP. 1. ad Leon. Imper. vbi supra.

omnium Christianorum est iniuria) liberare? Ac deinde: Apostolicũ pietatis tuæ animum etiam hoc malum debet ad iustitiam vltionis accendere, quòd Constantinopolitanæ quoque Ecclesiæ puritatem pestilentes obscurãt, in qua inueniuntur quidam clerici hæreticorum sensui cõsonantes, & inter ipsa Catholicorum viscera adsertionibus suis hæreticos adiuuantes. In quibus deturbandis si frater meus Anatolius, cùm nimis benignè pareit (nota verba) segnior inuenitur; dignamini pro vestra fide etiam istam Ecclesiæ præstare medicinam, vt tales nõ solùm ab ordine Clericatus, sed etiam ab Vrbis habitatione pellantur; ne vlteriùs sanctus Dei populus peruersorum hominum contagione polluatur.

Idẽ epist. 80. Eodem spectat eiusdem D. Leonis illud ad Iulianum Coensem Episcopum, cuius in fine dictæ epistolæ meminit: Agat itaque fraternitas tua oportunis suggestionibus vt clementissimus Princeps quæ Domino sint placitura præcipiat, & inuentores cruentarum seditionum iubeat competentiùs coërceri, vt nec illi impuniti sint, quorum manus scelera perpetrarunt, nec illi qui tali vtuntur insania.

Vbi suprà 2. T. Concil. pag. 255. Adnotanda etiam hæc verba Episcoporum Dynachij ad eundem Imperatorem: Flammam hanc antequam in sublime cõscendat, ex-

minguite, languoremque priusquam velut morbus inficiat vniuersa, curate. Nam medicorum ægritudines curantium illos potiùs admiramur, qui neque ad ægritudinem venire permittunt. Quæ scripta tot Episcoporum meritò permouerunt Leonem Imperatorem vt Timotheus ille Ælurus Alexandria eiectus, Gangram, quò etiam magister eius Dioscorus deportatus fuerat, exulatum missus sit. Nicephor. vbi supra.

Porrò etiã Gelasius Pontifex ad Anastasium Imperatorem de Acatio: Tuis certè (inquit) Legibus Imperator poterit nihil perire Romano Imperio, Romano nomini nullum admittis ingeri detrimentum. Itáne verò, Princeps egregie, vt Religioni, vt veritati, vt sincerati Catholicæ communionis & fidei, temporibus tuis patiaris quemquã inferre dispendium? Qua fiducia, rogo te, illic eius præmia potiturus es, cuius hic damna non prohibes? Ac deinde: Alioquin non erit diuinitus mandata discretio, sed miseranda confusio. Nec vlla iam causa supererit, si hoc in quolibet cõtagio voluerimus admittere, ne cunctis hæresibus aditum ianuamque pandamus. Et postea: Ergo, glorioſe Imperator, nolo ego Ecclesiarum pacem? quam, etiam si eum sanguinis mei impẽdio prouenire posset, amplector. Sed precor te cuiusmodi debeat esse pax ipsa, Gelas. Tomo de Anath. vinculo. T. 2 Cõc. pag. 301

non vtcúque sed veraciter, Christiana mente libremus. Quomodo enim potest esse pax vera, cui caritas intemerata defuerit? Caritas autem qualis esse debeat, nobis euidéter prędicat Apostolus qui ait: Caritas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. Quomodo, quæso te, de corde erit puro, si contagio inficiatur externo? Quomodo de cóscientia bona, si prauis fuerit maliśque commixta? Quemadmodum fide nō ficta, si maneat sociata cum perfidis? Haud absimilia quædam habentur in Epistola Anastasij Papæ 1111. ad Zenonem Imperatorem, vbi sic eum alloquitur: Respice ad prędecessorem tuū pijssimum Imperatorem Martianum, & illius fidem libenter amplectere, Hæreticam tyrannidem Petri Alexādrini quamcitissimè eradica, Valentini & Eutychetis discipulum expelle à ciuitate, simul & Ecclesiastico regimine, & à dignitate Ecclesiastica deiectum esse sancito. Item similia de expellēdis Anthimo, Seuero, & Petro hæreticis Eutychianis, Pauli Episcopi Apameani ad Iustinianum Imperatorem; ac ad eundem Monachorum secundæ Syriæ, de Zoara eiusdem Acephalorum hæreseos conuicto. Denique consuetudinem ferendi Leges aduersus hæreticos post Synodos singulas ex consensu Patrum, insinuat his

Synod. 5. Act. 1.

Ibidem.

his verbis Iustinianus Imperator sua Constitutione: Rem (inquit) non insolitam Impero & nos facientes, ad præsentem venimus legem. Quoties enim sacerdotum sententia quosdam indignos sacerdotio de sacris sedibus deposuit; toties Imperium eiusdem sententiæ & ordinationis cum sacerdotum auctoritate fuit. Propter hęc igitur interdicimus Anthimo commorari in hac ciuitate, & eius districtu, ac in quacunq; alia ciuitate, &c. quo- Ibidem.
rũ quędam suprà adduximus Cap. 18. Et verò Ibidem.
ad easdem Leges ferendas commonitus fuit à S. Mariano ac alijs Archimandritis montis Sinai ac Syriæ secũdæ in hęc verba: Obtestamur itaque sanctum Imperium vestrum non contemnere iustum iudicium iusti viri (Agapiinempe) sed ipsum exequi, & Ecclesiam Dei ac totum mundum liberare à peste Anthimi, & prędictorum hæreticorum. Timendum enim est, pijssime Imperator, ne propter nimiam dilationem illud Israelitici populi patiamur & nos, in medio habentes ab omni sacerdotio anathematizatos; qui quoniam in medio habuit Achan, in periculo fuit totali- Iosue 7.
ter perire; licet ignoraret quòd in medio haberet anathema. Non ergo sustineatis, Christianissimi Imperatores, talo malũ cõtemnere, sed vtimini zelo ad recognitionẽ Dei, illud

Prouerb. 20. adimplentes quod scriptum est: Ventilator impiorum Rex sapiens; vt cum Dauid & Iosia, & Elia & Agapito, qui maximè zelauerunt pro Deo, partem vos habeatis. Quid quòd in eadem Synodo legi iussæ sint Constitutiones Theodosij & Valentiniani suprà citatæ

Adrian. PP. ep. ad Constantin. & Iren. Syn. 7. Act. 2. Cap. 15. Rursum Adrianus Papa aduersus Iconoclastas Constantini & Irenæ Imperatorum auxiliũ implorat. Cæterùm iamdudum antea Concilium Carthaginiense contra Donatistas Imperatore Honorio V I. Coss. (quod inuenitur in collectaneis Synodorum Africę) miserunt ad Imperatores Arcadium & Honorium Legatos Euodium & Theodosium Episcopos, cum cõmonitorio prolixo, in quo inter cæteta petendum decreuerunt vt illam Legem (de quâ suprà cap. 15.) quæ à religiosę memoriæ eorum patre Theodosio de aui libris decem in ordinatores vel ordinatos hæreticos, seu etiam in possessores vbi eorũ congregatio deprehenditur, promulgata est; ita deinceps cõfirmari præcipiant, vt in eos valeat (Donatistas nẽpe) contra quos propter eorum insidias Catholici prouocati contestationem deposuerunt; vt hoc saltem (inquiunt) terrore à schismatica vel hæretica prauitate desistãt, qui cõsideratione æterni supplicij emendari corrigique dissimulant. Petẽdum etiam addunt,

Concilium Aphric. c. 60

addunt, vt Lex quæ hæreticis vel ex donationibus, vel ex testamentis aliquid capiendi vel relinquendi denegat facultatem (de qua suprà cap. 16.) ab eorũ quoque pietate hactenus repetatur, vt eis relinquendi vel sumendi ius adimat, qui pertinaciæ furore cæcati, in Donatistarum errore perseuerare voluerint. Atque huius legationis, tum Legum quæ postea latæ sunt, mentionẽ facit D. Augustinus in hæc verba: Antequam, inquit, istæ Leges quibus ad sanctum conuiuium coguntur intrare, in Africam mitterentur, nonnullis frambus videbatur, in quibus & ego erã, quamnis Donatistarũ rabies vsquequaque sęuiret, non esse petendũ ab Imperatoribus vt ipsam hæresim iuberent omnino non esse, pœnam constituendo illis qui in illa esse voluissent; sed hoc potiùs constituerent, vt eorum furiosas violentias non paterentur qui veritatem Catholicam prædicarent loquendo, vel legerent constituendo. Quòd eo modo fieri aliquatenus posse arbitrabamur, si Legem pijssimæ memoriæ Theodosij, quam generaliter omnes hæreticos promulgauit, vt quisquis eorum Episcopus vel clericus vbilibet esset inuentus, decem libris auri multaretur, expressiùs in Donatistas qui se negabãt hæreticos ita confirmarent, vt nõ omnes ea mulcta feri-

Aug. ep. 50. ad Bonifac.

ferirentur, sed in quorum regionibus aliquas violentias à Clericis vel Circumcellionibus, vel populis eorum, Catholica Ecclesia pateretur. Et quamuis alijs fratribus aliud videretur iam ætate grauioribus, vel multarum ciuitatum & locorum exemplis concurrentibus, vbi veram & firmã Catholicam videbamus, quæ tamen talibus beneficijs Dei esset firmata, dum per priorum Imperatorum Leges ad Catholicam communionem venire cogerentur; obtinuimus tandem, vt illud potius quod dixi peteretur; decretum est in Concilio nostro, Legati missi sunt. Sed Dei misericordia maior, qui sciret, harum Legum terror & medicinalis molestia quàm multorum esset frigidis & prauis animis necessaria, id egit vt Legati nostri quod susceperant agere non possent. Iam enim nos præuenerant ex alijs locis quædam Episcoporum querelæ grauissimæ, qui mala fuerant ab ipsis multa perpessi, & à suis sedibus exturbati: præcipuè horrenda & incredibilis cædes Maximiani Episcopi Catholici Ecclesiæ Vagiensis effecit vt nostra legatio iam quid ageret nõ haberet. Lexenim iam fuerat promulgata, vt tantæ immanitatis hæresis Donatistarum, cui crudelius parci videbatur quàm ipsa sæuiebat, non solùm violenta esse, sed omnino esse non sineretur impunè.

nunc. Et verò etiam factum ipsum comprobans, paulo pòst subijcit: Auxilium ergo petuit ab Imperatore Christiano, non tam sui vlciscendi caussa, quàm tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ. Quod si prætermisisset, nõ eius fuisset laudanda patientia, sed negligẽtia meritò culpãda. Neque enim Apostolus Paulus vitæ suæ transitoriæ, sed Ecclesiæ Dei consulebat, quando illorum qui eum occidere conspiraverant consiliũ Tribuno vt proderetur effecit. Romanas etiam Leges implorare minimè dubitauit, ciuem Romanũ se esse proclamãs, quos tunc verberibus affligi nõ licebat; itaque ne Iudæis eum interimere cupientibus traderetur, Cæsaris popoſcit auxilium, Romani quidem Principis, sed nõ Christiani. Vbi satis ostendit, quid facere deberent postea Christi dispensatores, quando Imperatores Christianos periclitante Catholica reperirent. Hinc factum vt Imperator religiosus & pius, prolatis in notitiam suam talibus caussis, mallet pijssimis Legibus illius impietatis errorem omnino corrigere, & eos qui contra Christum Christi signa portarẽt, ad vnitatem Catholicam terrendo & coërcendo redigere, quàm sæuiendi tantummodò aũferre licentiam, & errandi ac pereundi relinquere. Factũ autem hocce defendens idem D. Augustinus, inquit ibidem

Ibidem. *Act. 21.* *Act. 25.* *Ibidem.*

ibidem paulo priùs: Quod enim dicunt qui contra ſuas impietates iuſtas Leges conſtitui nolunt, non petiſſe à Regibus terrę Apoſtolos talia; non conſiderant aliud tunc fuiſſe tẽpus, & omnia ſuis temporibus agi. Quis enim tũc in Chriſtum crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatẽ Leges ferendo ſeruiret, quando adhuc propheticũ illud cõplebatur: Quare fremuerunt gentes, &c. nõdum autẽ agebatur quod in eodẽ Pſalmo dicitur: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: ſeruite Domino in timore, & exultate ei cũ tremore? Quomodo ergo Reges ſeruiunt Domino in timore, niſi ea quæ cõtra iuſſum Domini fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo atque plectendo? Sicut ſeruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum & illa excelſa quæ contra Dei præcepta fuerant conſtructa deſtruẽdo. Sicut ſeruiuit Ioſias, talia & ipſe faciendo. Sicut ſeruiuit Rex Darius idolũ frangendum in poteſtatẽ Danielis dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Sicut ſeruiuit Nabuchodonoſor, omnes in regno ſuo poſitos à blaſphemando Deo Lege terribili prohibẽdo. Eodem pertinẽt quę habet idem Diuus Auguſtinus de hæreticis excludendis è Baſilicis, & de Cæſarum Legibus quibus id præcipiebatur; quibus etiam ipſos Donatiſtas

Pſalm. 2.

4. Reg. 18.

4. Reg. 22.

Dan. 14.

Dan. 3.

Idem Aug. in Pſalm. 57.

illas vsos narrat, dicentes se Catholicos, vt Basilicis excluderent Maximinianistas.

CAPVT XXIII.

Quòd vbi conniuere cœperunt Imperatores, grauiter aut increpati, aut saltē admoniti sint à sanctis Episcopis, etiā ab ipso sancto Athanasio, quātumuis de illo alij aliud sentiunt.

CONfirmatur hæc sententia de licentia sectis non permittenda exemplo sanctorum aliquot Episcoporum, qui siquando eò inclinari viderēt animos Imperatorum, varijs tum persuasionibus tum increpationibus id dissuaserūt. Ita consilio Ascholij Thessalonicensis Episcopi, qui aiebat Orientem scatere hæresibus ob Constantij lenitatem & Valentis improbitatem, statim Theodosius aduersus hæreticos Legem illam suprà citatam cap. 15. Thessalonica Constantinopolim misit; qua Lege lata statim etiam Demophilo expulso D. Gregorius Nazianzenus Cōstantinopoli Ecclesias recepit, quas iam 40. aut circiter annis Ariani occupauerant. Deinde cùm Ariani varijs insidijs niterētur animum Imperatoris ad se adtrahere, eò vsque proueherunt vt nisi obstitisset (vti suprà quoque dictum est) cōiunx Placilla, Eunomiū in colloquium admisisset; D. Amphilochius venerādus senex

Zozom. l. 7. cap. 4. & Nicephorus lib. 12. c. 6. 7. & 8.

Impe-

Imperatorem adijsse scribitur, eique vt Arianorum conuentus à cæteris quoque vrbibus semoueret supplicasse. Quod quũ tamquam durius quiddã differret ille, re quoque dilata in aliud tẽpus; Amphilochius quum rursum cum alijs Episcopis ad Aulam euocatus, Imperatorem quidem debita reuerentia prosecutus, filium eius Arcadium inhonoratum reliquisset; atque hinc ira percitus Imperator grauiter commotus cum cõuitio Episcopum abduci iussisset; ille quamuis protenderetur, conuersus tamen paululũ: Videsne (inquit) Imperator quàm tu procaciter filio illatam contumeliam non fers, sed amarulenter propter submissioré honoré in nos excandescis? Sic scilicet existimare te oportuit, succensere etiam cælestem Imperatoré & Patrem Vnigeniti, propter eos, qui non communem illi tribuunt honorem, sed dissimilem & longè Patre minorem vocare audent. Imperator verò quum inde rem actam intelligeret, & verba ea admiraretur, confestim ad se sacerdotem Dei accersiuit, & ad pedes eius prouolutus veniam petijt. Atque ea sententia cõfirmatus, nouas in Arianos Leges promulgauit, de quibus suprà Cap. 16. Porrò etiam quum eodem tempore qui in Occidente imperitabat, à matre Ariana seductus Valentinianus

Zozom. l. 7. c. 6 & Nicephor l. 12 cap. 9.

lianus II. edictum promulgasset, quo Arianis Basilicas tradi iubebat; Mediolani D. Ambrosius in faciem illi restitit, & cùm corá iudicibus ea de re controuersiam inter ipsum & Auxentium Arianorum Episcopum constituisset, recusauit venire ad cõsistorium, nec tamen Ecclesiam suam relinquere voluit, animatus consacerdotum hac sententia: Non multum interest vtrum volens relinquas an tradas altare Christi; cùm enim reliqueris, trades. his inter cætera verbis ad Imperatorem vsus: Vtinam liquidò mihi pateret quòd Arianis minimè Ecclesia traderetur, spontè me offerrem tuæ pietatis arbitrio. Sed si ego solus interstrepo, cur etiam de alijs omnibus inuadendis Ecclesijs est præceptum? Vtinam confirmetur, vt Ecclesijs nemo molestus sit, opto vt de me qualis sententia videtur profetatur. Quid? quòd etiam suos vt se non impedirent ad constantiam atque tolerantiam exhortatus est; ad quos inter cætera sic scribit: Circumfusi milites, armorum strepitus quibus vallata est Ecclesia, fidem non terrent meam, sed mentem exagitant, ne perniciosum aliquid vestræ oboriatur saluti. Quum esset (inquit porrò) propositum, vt Ecclesiæ vasa iam traderemus, hoc responsi reddidi: Me si de meis posceretur aut fundus, aut domus,

D. Ambros. Epist. 32 ad Valent. Imp.

Idem Orat. in Auxentiũ de Basilicis non tradẽdis.

mus,aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris esset libenter offerre; templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud quod custodiendum non tradendum acceperim: deinde consulere me etiam Imperatoris saluti; quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi sacerdotis; si vult sibi consultum esse, recedat ab iniuria Christi. Ac deinde: Dixi enim conuentus;
3.Reg 21. Absit à me vt tradam hereditatem Christi. Si Naburthe patrum hæreditatem Achab non tradidit, ego tradam Christi hæreditatē? Sed & hoc addidi: Absit vt tradam hæreditatem Patrū, hoc est, Dionysij, qui in exilio in causa fidei defunctus est, Eustorgij confessoris, Myroēlis, atque omnium retrò fidelium Episcoporum. Respondi ego quod sacerdotis est, quod Imperatoris est faciat Imperator. Prius est vt animam mihi quàm fidem auferat. Ac
Ibidem. postea: Quasi verò superiore anno, quando ad palatium sum petitus, cùm præsentibus Primatibus ante consistorium tractaretur, cùm Imperator Basilicam vellet eripere, ego tunc aulæ contemplatione Regalis infractus sim, constantiam nō tenuerim sacerdotis, aut imminuto iure discesserim. Ac paulo pòst: Quid enim timeamus pro Christi nomine? nisi fortè illud mouere me debet quod aiunt: Ergo

non

non debet Imperator vnã Basilicam accipere ad quam procedat? & plus vult Ambrosius posse quam Imperator, vt Imperatori procedendi facultatẽ neget? Quod cùm dicunt; apprehendere sermones nostros gestiunt, sicuti Iudæi qui Christum versuto sermone tentabant dicentes: Magister, licet tributum dare Cæsari an non? Et tamen videte quanto peiores sunt Ariani quàm Iudæi. Illi quærebant vtrum soluendũ putaret Cæsari ius tributi; isti Imperatori volunt dare ius Ecclesię. Nos quæ nos docuit Dominus & auctor noster Christus, respondeamus. Considerãs Ie- *Matth. 22.*
sus dolum Iudæorum dixit ad eos: Quid me tentatis? ostendite mihi denarium. Et cùm dedissent, dixit: Cuius imaginem habet & inscriptionem? Respondentes dixerũt: Cæsaris. Et ait illis Iesus: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Ergo & ego dico illis qui mihi obijciunt: Ostendite mihi denarium. Iesus Cæsaris denariũ vidit, & ait: Reddite, &c. vt suprà. Numquid de Ecclesię Basilicis occupandis possunt ostendere denarium Cæsaris? Sed in Ecclesia vnã imaginem noui, hoc est, imaginem Dei inuisibilis. Quid igitur? Non humiliter responsum est à nobis? Si ergo Christus obediẽs, accipiãt obedientię magisterium, cui nos inhæremus, dicentes ijs

qui nobis de Imperatore inuidiam faciunt. Soluimus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo. Tributum Cæsaris est, non negatur: Ecclesia Dei est, Cæsari itaque non debet addici, quia ius Cæsaris esse nō potest templum Dei. Denique quomodo obstiterit ne Basilica traderetur, ad sororem Marcellinam latè deducit, vnde quædā excerpsimus: Nec iam (inquit) Portiana, id est, extramurana Basilica petebatur, sed Basilica noua, hoc est, intramurana, quę maior est. Conuenerūt me primò viri Comites cōsistoriani, vt & Basilicam traderem, & procurarē ne quid populus turbarum moueret. Respōdi quod erat ordinis, templum Dei tradi à sacerdote nō posse. Acclamatum est sequenti die in Ecclesia. Etiam Præfectus eò venit, cœpit suadere vt Basilica Portiana cederemus. Populus reclamauit. Ita tunc discessum est, vt intimaturum se Imperatori diceret. Sequenti die (erat autem Dominica) conuenior ipse à Comitibus & Tribunis, vt Basilicę fieret matura traditio, dicētibus Imperatorem iure suo vti, eo quòd in potestate eius essent omnia. Respondi, si à me peteret quod meum est, ius huiusmodi meum non refragaturum; verùm ea quæ diuina, Imperatoriæ potestati non esse subiecta. Si patrimonium petitur, inuadite; si corpus, occur-

Idē epist. 33. ad Marcell.

occurram. Vultis in vincula rapere, vultis in mortẽ? voluptati mihi est. Non ego me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratiùs immolabor. Horrebam quippe animo, cùm armatos ad Basilicam Ecclesiæ occupandam missos cognoscerem, ne dum Basilicam vindicant, aliqua strages fieret, &c. His dictis illi abierunt. Ego in Basilica veteri totum exegi diem. Ante lucem, vbi pedem limine exmuli, circumfuso milite occupatur Basilica. Idque à militibus (quod adnotatu dignũ) Imperatori mandatum dicitur, vt si prodire vellet, haberet copiam; se tamen præsto futuros si viderent eum cum catholicis conuenire, alioquin se ad eum cœtum quem Ambrosius ageret, transituros. Circumfusam Basilicam esse gemitu populi intellexi; sed dũ leguntur lectiones, intimatur mihi plenam populi esse Basilicã etiam nouam, maiorẽ videri plebem quàm cùm omnes essent liberi; Lectorẽ efflagitari. Quid plura? Milites ipsi qui videbãtur occupasse Basilicã, cognito quod præcepissem quod abstinerentur à cõmunionis consortio, ad conuentum hunc nostrum venire cœperunt. Et paulo pòst: Aduertitis quid iubeatur cùm mandatur: Trade Basilicam, hoc est, dic verbum aliquod in Deum, & morere. Nec *Vbi suprà.*

Ioh. 2. solùm dic aduersus Deum, sed etiam fac aduersus Deum. Mandatur: Trade altaria Dei. Vrgemur igitur præceptis regalibus, sed confirmamur scripturæ sermonibus, quæ respondit: Tamquã vna ex insipientibus locuta est, quibus verbis tacitè alludit ad Iustinã Valentiniani matrẽ, cuius suasu filius hæc mãdauerat. Et iterũ: Mandatur denique: Trade Basilicam. Respondeo: Nec mihi fas tradere, nec tibi accipere Imperator expedit. Domum priuati nullo potes iure temerare, domum Dei existimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo: Noli te grauare, Imperator, vt putes te in eã quæ diuina sunt Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere; sed si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandasse: Debeo & ego vnam Basilicam habere. Respõdi: Non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim, quæ non est legitimo Dei coniugio copulata. Quid autem ex hac D. Ambrosij constantia consecutum sit, ab eodem narratur: Ego domum (inquit) redire non potui, quia circumfusi erant milites qui Basilicam custodiebant; verùm cum

Ibidem.

Ibidem.

Fratri-

Fratribus Psalmos in Ecclesię Basilica minore diximus. Sequenti die, nec mora, nunciatur Imperatorem iussisse vt recederent milites de Basilica, negotiatoribus quoque quod exacti de cõdemnatione fuerant redderetur. Quæ tunc plebis totius lætitia! Certatim hoc nunciare, milites irruentes in altaria osculis significare pacis insigne. Denique etsi Imperator initio id ægrè tulerit, postmodum (ipso adtestante) tanto in eum incubuit affectu Valentinianus ante obitum, vt quem antè persequebatur, diligeret; quem ante vt aduersarium repellebat, postea vt parentem putaret. Quinetiam illisipsis publici doloris (inquit) diebus, cùm sanctos & summos sacerdotes Domini intra Gallias haberet, vt à me tamen sacramentis Baptismatis initiaretur, scribendum arbitratus est. Quid de D. Chrysostomo dicam? Permissum erat (teste Metaphraste) Arianis intra ciuitatẽ habere conciliabulum, quod quidem multis fuerat caussa, vt eodem quo ipsi laborarent morbo malæ opinionis. Opportunum itaque tempus nactus, quando Imperator (Arcadius nempe) ad sacrum venit, festo eum ad id vocante (erat autem dies Epiphaniarum) Dic mihi (inquit) ô Imperator. Si quis huic pulcræ & precioſę, ostendens, coronam quam habebat in capite, quosdam

Idẽ Ambros. epist. 34. ad Theodosium.

Symeon Metaphr. in vita Chrysost.

abiectos & obscuros lapides inseruisset, videretur ne tibi hoc esse tolerandũ, & non tamquam vniuersa per illos afficeretur contumelia, ægrè tulisses? Cùm is autem veritati sermonis annuisset: Quid verò? (inquit) non existimas vniuersorum Regem irasci, si in pia ciuitate quæ omnino rectè se habet, pars quæ malè sentit sinatur habitare? cùm oporteat vel ab ipsis exigere vt conuertãtur, vel si perseuerant, protinus expellere. Hæc cùm audisset Imperator, non distulit, nec est cunctatus, sed primos eorum statim accersijt, & ex eis scire voluit, an in animum inducerent à fugienda desistere opinione, minatus exilium & bonorum suorum priuationem ijs qui nõ parérent. Cùm autem vidisset eos esse immedicabiles, minas deduxit ad effectum, & iussit eos expelli ciuitate. Eadem constantia vsus est aduersus Gainam Chrysostomus. Gainas creatus iam dux exercitus Romanorum, cùm acriter defenderet opinionem Arianorum, ausus est ab Imperatore vnum templum petere ijs qui suę erant opinionis eorũ quę erant in ciuitate. Arcadius Dei homine accersito, rogabat vt petitio illius exaudiretur, eius virtutem illi reuocans in memoriam, & tacitè significans tyrannidem quam ipsum videbat affectare, vt sic, aiebat, barbari miteſcat animus.

Ibid. & apud Nicephorũ Eccles. hist. lib. 13. c. 5. & 6.

mut. Ille autem lingua planè aureus, ſtatim renuit, diuini metus non oblitus, & eius quam habebat dignitatis: dicitque ſe id non eſſe permiſſurum, quodcumque acciderit; addés verbis ſe linguam illius frenaturũ, & perſuaſurum, ſi euocetur, vt minimè petat quæ dare nõ conuenit. Vtroque autem accerſito: Non oportet, inquit Chryſoſtomus, Principem quicquam in Deum audere, ſi quidem vera pietas illi curæ ſit; ſed potiùs benè cõſtitutas Leges ſeruare, & eam potiſſimùm quæ aliàs contra hæreticos promulgata eſſet. Suaſitque adeò imperatori, conducibilius eſſe dictitans, Imperio cederet quã per impietatem ædem Dei proderet. Atque ſermonem conuertens ad Gainam, vnam ſibi ædem permitti poſtulantem ad precandum, Nullum eſt, inquit, templum quod tibi non pateat. Sed ſum, ait Gainas, alterius ſectæ, & ideò volo ſeorſum cum ea verſari in Eccleſia, maximè cùm belli pericula quotidie adeam vt Reipublicę vtilitatem vitæ meę præferam. Verùm habes (ait ſanctus) laborum præmia maiora, ſiquidem & dux exercitus & conſularem honorẽ adſecutus es. Satiùs autem fuerit te cogitare quis antea fueris; nunc autem quãtæ tibi ſuppetant opes. Age ergo, & ne ingratus ſis erga eos qui te cohoneſtarunt caue. Patriam tuam

considera,& vt ex ea pulsus & ab Imperatoris patre seruatus,te amicũ Romanis,ipsi illi,eiusque liberis fore, & Leges seruaturum iureiurando te adstrinxeris,& illá maximè, eos qui alienæ in Religione sint sententiæ,conuentus intra Constantinopolitanæ vrbis mœnia cogere prohibentem. Hæc verba magnus ille Ioannes maxima cũ libertate constanter prolocutus,os Gainæ obturauit, & silere eũ coëgit; neque de Ecclesijs quarũ ipse curam gerebat, quicquam innouari permisit. Et verò Authenticam hanc esse historiã, manifestum fit ex Homilia quæ inscribitur: Cùm Gainas egressus esset è ciuitate: vbi inter cętera sic loquitur: Multo tẽpore silui,sed adfui, tumultus componens, fluctus sedans, tempestatem corrigens; eosque qui iam demergi cœperãt, ad portum & in tranquillum porrecta manu reducere studẽs. Neque verò ab alijs Patribus differtit D. Athanasius. Ipse enim acceptis à Constantino I. Imperatore litteris vt Arium in cõmunionem reciperet, Cæsari se persuasisse scribit, nullã debere esse Catholicæ Ecclesiæ cum hęresi Christi oppugnatrice communionẽ;atque se nihilominus Alexandriam ab illo remissum. Deinde de Cõstantio illius filio scribens,comparat illum Sauli euertenti Nobam ciuitatẽ sacerdotũ,eo quod (inquit) eius

Homil. de Anarit. sub finem T. 5.

Athanasius Apol. 2.

Idem epist. ad Solitarios.

cius sceleris superans magnitudinẽ, Ecclesias Domini hæreticis traderet. Sed dicet aliquis, legi apud Nicephorũ, quòd idem D. Athanasius non recusauerit vnam Alexandriæ Arianis Ecclesiam consentire, modò Imperator efficeret vt Ecclesia quoque vna daretur Catholicis apud Antiochiam. Respondeo imprimis, quod ipse Nicephorus dicat, petijsse id Constantiũ ab Athanasio aduersariorum suggestione, vt captioso sermone eũ falleret. Atque adeò videtur potiùs Athanasius cũ Cretensi voluisse cretisare (vti in prouerbio est) quàm quod ex animi sui sententia tale quid dixerit. Vnde Socrates acutè id respondisse illum refert, vtpote qui satis pro sua prudentia præuideret, Arianos numquam id concessuros (sicuti etiam id apertè recusarũt) atque sic elusit consiliũ Achitophelis: præsertim cum Imperatore habens cõtrouersiam, non hæretico modo, sed & tyráno, quẽ ea ratione induxit, vt vbique Ecclesias Catholicis reddẽdas curaret. Denique non fuisse eã Athanasij sententiã vt Arianis Basilicę traderẽtur, vel inde manifestũ est, quòd eodẽ Nicephoro teste Cõstantij litteris munitus, Alexandriã regrediẽs, nõ in Ægypto dũtaxat sui fidei cõcredita, sed per nationes alias vbique, Ecclesiarũ administrationem ijs ademit, quos Ariano dogmati addictos repperit.

Niceph. l. 4. cap. 24.

Socrat. lib. 2 cap. 18.

CAPVT XXIIII.

Quòd non obstet nostro instituto, si qui Catholici Imperatores aut seductione, aut metu, aut nimia indulgentia ad tempus licentiam sectis cõcesserint; quia postea eos pœnituerit.

CAtholicos Imperatores si quãdo ad tempus hæreticis libertatẽ aliquam permiserint, postea pœnituisse, multis exemplis probare non erit difficile; atque eo modo velut ab aliud agentibus respõdetur ad edicta Principum de licentia sectarum. Certè Constantinus Primus (vt illud omittã quod quidam adferunt, vbi parem vult cum fidelibus hos qui errant pacis ac quietis fruitionem accipere, neque quemquam cuiquam molestũ esse; nam id ad errorẽ idololatriæ spectare; cuius initio conuersionis alia est ratio; ex Eusebio manifestum est, qui editum illud Decretum scribit contra errorem multiplicis Deorum cultus) cùm initio in Donatistas esset indulgentior, ac eos tamquam quorum animi ad modestiam videbãtur propè insanabiles, Deo curandos permitteret, ac nihil contra eorum quemquã acerbitatis mente conciperet, quid factum est? Inde (inquit idem Eusebius) vt est verisimile, seditiosi in Aphrica eò audaciæ proruperũt & crudelitatis, vt facinora nefaria moli-

Eusebius de vita Constant. lib. 2. c. 47. & 55.

Ibidem lib. 1 cap. 38.

molirentur. Quos etsi etiam tum miseratione potiùs quàm supplicio afficiẽdos putaret, quòd mente capti viderentur; certè postea pœnitentia ductus, cùm videret eos etiá populum Catholicum peruertere velle, diuersas Leges de quibus suprà Cap. 15. in Donatistas promulgauit. Deinde contagionem Catholicorum metuens aduersus reliquas etiam hæreses edictum illud prolixissimũ edidit. Cognoscite iam per hanc Legem quæ à me sancita est, ô Nouatiani, Valentiniani, Marcionistæ, Pauliani, quique Cataphrygum nomen vsurpatis, & omnes omnino qui per conspirationes à vobis conflatas hæreses & sectas etiam atque etiam augere conamini; cognoscite (inquam) quibus mendacijs vestræ doctrinæ inanitas implicata teneatur, & quatenus pestiferis quibusdá venenis nostra (nam sic lego pro: vestra) inficiatur disciplina, &c. vt suprà. Denique post Leges latas aduersus Arium (vti testantur Ecclesiasticæ historiæ) seductus quidem à presbytero Ariano quem illi soror Constantia vita decedens commendauerat, Arium Alexandriam reuocauit, & tandem etiam D. Athanasium, tum varijs calumnijs nimis credulus, tum quòd putaret eo pacto ad concordiam Ecclesiam posse redigi, Treueri in Gallijs exulare iussit. Verùm Ario

Ibidem l. 3. cap. 61. 62. & 63.

Sup. Cap. 15 Socrat. l. 1. c. 19. & 23. Theod. lib. 1. c. 31. & 33. Zozom. l. 2. cap. 26. 27. 29. & 30. Niceph. l. 8. cap. 52.

iam

iam ventre dirupto morte ſubita miraculosè exſtincto, Legem modò dictam tulit Cõſtantinus: qua non dubium etiam Arianos comprehenſos ſi ſeparatim conuẽtus egiſſent (vti ſcribunt Zozomenus & Nicephorus) vel inde pãtet, quòd Ioannem Epiſcopum Arianum in locum D. Athanaſij ſubſtitutũ, cùm audiret Alexandriæ Eccleſiam in duas partes ditemptã, etiam exſilio multauerit. Denique Athanaſij innocentia comperta, & hæreticorum malitia deprehenſa, iam moriturus (Nicephoro teſte) reuocari Alexandriam Athanaſium iuſſit. Quod ipſum confirmatur epiſtola Conſtantini Iunioris ad Alexandrinos, qua eundẽ redire iuſſit, quæ exſtat inter Opera D. Athanaſij & apud dictos hiſtoricos, vbi etiam patrem de hoc facto excuſat. Neque, inquit, veſtram ſacram mentem latere arbitror ideò Athanaſium adorandæ Legis interpretem in Gallias miſſum eſſe, ne quo tempore ſanguinolẽtorum hoſtium feritas ſacro eius capiti immineret, &c. Iam cùm inprimis veſtræ in Deum pietati ſuiſque ſedibus hunc Epiſcopũ Dominus noſter ac pater Cõſtantinus reſtituere vellet, & humana ſorte præuẽtus, antequam hoc totum impleret, requieuerit; ego mihi conuenire puto, vt ſuſcepta voluntate ſacræ memorię Imperatoris, id ipſum

Niceph. l. 8. cap. 54.

ipsum adimpleam, quod ille non potuit. Porrò Iouinianus Imperator, quamquam initiò (si Socrati credendum) nemini qualemcumque fidem amplectenti molestus fuerit, Themistij Philosophi cõsilio, quòd ita putaret concordiam Ecclesiarum se initurum; sub finem vitæ D. Athanasium ad se accersiuit testibus Nicephoro & Zozomeno) vt quidde Religione & sacra doctrina agẽdum esset, ab illo cognosceret. Cui verò dubium quin si superuixisset, Athanasij de hac sententiam secutus fuisset? Certè D. Augustinus verbis suprà citatis morte prẽuentum scribit, vt nullas potuerit Leges aduersus hæreticos promulgare. Valentinianus I. si (vt scribit Arianus Socrates) Arianis nihil fecerat molestiæ, videtur id metu feciſſe Valẽtis fratris qui Catholicos grauissimè infestabat: eundem certè in Donatistas aliquid statuisse testatur D. Augustinus. Gratianus Imperator, qui initiò (si eidem Socrati creditur) Constitutionem edidit sectis indulgentem, vt quisque quam vellet Religionem sequeretur, exceptis Manichæis, Photinianis & Eunomianis, paulo pòst cum Valentiniano Iuniore, metuens ne sicut Macedoniani ita & Ariani ad ingenium rediret, adhuc in Imperij sui primitijs (inquit Nicephorus) Legem promulgauit, per quam

Socrat. l. 2. cap. 2.
Zozom. l. 3. cap. 2.
Nicephor. l. 9. c. 3.
Socrat. l. 3. cap. 21.
Zozom. l. 6. cap. 5.
Niceph. l. 10 cap. 41.
Epist. 166.
Socrat. l. 4. cap. 1.
August. vbi suprà.
Socr. l. 5. c. 2
Niceph. l. 12 c. 2. & 3.

quam cùm exules Episcopos restituit, tum Arianos ex sacris ædibus deturbari, easque Nicenæ Synodi obseruatoribus reddi permisit, aliasque cum Valentiniano II. quas suprà adduximus Cap. 15. Leges aduersus hæreticos edidit. Valentinianus II. à Iustina matre Ariana corruptus, priùs Arianis libertate concessa, etiam Catholicos persecutus, tandem acceptis à Theodosio Imperij Collega litteris, quibus scribebat nihil mirari se quòd eum Tyrannus Maximus in fugam conuertisset, qui dum rectam fidei sententiam oppugnaret, contra Deum bellū gereret; eiusque alloquio à labe Ariana curatus, cum Theodosio aduersus hæreticos aliquot, quæ suprà exstant Cap. 16. Constitutiones promulgauit. Ipse quoque Theodosius I. Imperator quod sententiam mutauerit, satis superq; suprà comprobatum est, vbi tum Leges aduersus sectarum licētiam, tum rationes quibus ab Ascholio Thessalonicensi & sancto Amphilochio persuasus est, repetire licet. Idipsum de Arcadio suprà comprobauimus, qui cùm in Gainę gratiam videretur aliquid licētię concessurus hæreticis, grauissima Diui Chrysostomi oratione est deterritus.

Suprà c. 16.

Suprà c. 17.

CAPVT

CAPVT XXV.

Quòd etiam Diuos, Gregorium Nazianzenum in Oriente, Augustinum in Africa, & Ioannē Pontificē, nomine primū, in Occidente, suæ lenitatis in hæreticos pœnituerit.

NAzianzeni locus tam ad institutum facit, vt integrum penè illum huc adferre visum fuerit operę pretium: Canities quoque (inquit) nonnihil eruditur, nec senectus, vt video, talis omnino est, quæ prudentiæ opinionem fidemque mereatur. Ego cùm omnium maximè Apollinaristarū impietatem perspectam haberem, nec ferendam eorum amentiam cernerem; existimabam fore, vt lenitate mea mitiores efficerentur. Verùm per imprudentiam, etiam sceleratiores illos vt apparet reddidi, & intempestiua hac Philosophia Ecclesiam detrimento affeci. Neque enim peruersi homines lenitate atque humanitate flectuntur. Præter alia eò quoque audaciæ prorupuerunt mali homines & malè perdendi, vt exautoratos ab vniuersali Orietalium & Occidentalium Concilio Episcopos accersentes, Imperialibus omnibus Constitutionibus atque omnibus vestris Edictis violatis, cuidam impij & adulterini sui gregis Episcopi nomē imposuerint. Quæ si leuia & ferenda sunt, *Nazianz. epist. 70. ad Olympium.*

ferat tua constantia: si verò grauia, ac ne ipsis quidem pijssimis Imperatoribus ferenda, hoc facinus, mitiùs tamē quàm pro sceleris atrocitate, vlciscì dignare. Hæc ille. In eandē sententiam D. Augustinus: Mea (inquit) primitus erat sententia, neminem ad vnitatē Christi cogendum esse, verbo agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus quos hæreticos apertos noueramus. Sed hęc opinio mea, non contradicentium verbis, sed demōstrantium superabatur exemplis. Nam primò mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cùm tota esset in parte Donati, ad vnitatem Catholicā timore Legum Imperialium conuersa est; quam nūc videmus ita huius animositatis pernicię detestari, vt in ea numquam fuisse credatur. Item aliæ multæ quæ mihi nominatim commemorabantur, vt ipsis rebus agnoscerem, etiam in hac caussa rectè intelligi posse quòd scriptum est: Da sapienti occasionem, & sapientior erit. Idem alibi libros suos retractās, Sunt duo, inquit, libri mei quorum titulus est Contra partem Donati: In quorum primo libro dixi, non placere mihi, vllius secularis potestatis impetu schismaticos ad cōmunionem violenter arctari. Quod verè mihi tunc non placebat, quia nondum expertus erā, vel quan-

Augustinus Epist. 48. ad Vincent.

Proverb. 9.

August. l. 2. Retract. c. 5.

quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantũ eis in melius mutandis cõferre posset diligentia disciplinæ. Similia etiam alibi & prolixè tractat D. Augustinus, quæ compendij gratia prætermittimus. Denique D. Ioannes Papa primus, postquam à Theodorico Gotthorum Rege, qui Rauẽnam occupabat, Constantinopolim ad Iustinũ 1. Cæsaré missus (si Paulo Diacono & nõ Blondo creditur) metu quodam ne Catholicos vicissim Theodoricus opprimeret, ab Imperatore impetrarat, vt Arianis Ecclesiæ redderentur; eo non obstante in carcerem missus à Theodorico vnà cum cæteris Legatis suis Collegis, libernimè & in hæc verba constantissimè Episcopis Italiæ scripsit: Hortor vos & moneo, contra Arianam perfidiã, quæ modò in quibusdam reuiuiscit, armari gladio Spiritus sancti, vt eam ita, adminiculante diuina gratia, opprimere & exstirpare valeamus, vt nec radix eius in posterum inueniatur. Ecclesias verò Arianorum vbicumque inueneritis, Catholicas eas diuinis precibus & operibus absque vlla mora consecrate: quia & nos quando fuimus Constantinopoli (quæ certè verba magis fauere videtur Blondi sententiæ, quàm Diaconi) tam pro Religione Catholica quàm & pro Regis Theodorici causa negotij, suadẽte

Idem ep. 50. ad Bonifac.

Paul. Diac. lib. hist. 18. Blond. in hist. de gestis Roman.

Epist. 2. Tom. 2. Concil.

atque hortante Arianoſque exſtirpate pijſſimo atque Chriſtianiſſimo Iuſtino, orthodoxo Imperatore, quaſcumque illis in partibus earum Eccleſias reperire potuimus, eas Domino opem ferente, conſecrauimus. Et quamquam prædictus Theodoricus Rex eorum peſte tactus intrinſecus, & obuolutus extrinſecus, vos & omnem regionem veſtram perdere, & gladio & igne conſumere minetur; nolite tamen propterea deficere, ſed viriliter in agro Dominico elaborare ſtudete, & iuxta veritatis vocem, Nolite timere eos qui corpus occidunt, &c. *Matth. 10.*

CAPVT XXVI.

Quòd proinde ſi qui reperiantur ſubinde celebrati Arianorum conuentus extra ciuitates, Imperatorum (multo minus ſummorum Pontificum aut Epiſcoporum) indulgentia id imputandum non veniat, ſed potiùs hæreticorum, Leges contemnentium, peruicacia.

INterdixiſſe primos illos Imperatores non modò intra ſed & extra ciuitates conuentus hæreticorum omnes, ſatis demonſtratur Legibus ſuprà citatis. Primùm enim Cõſtantinus his verbis vtitur: Vt non modò in publico, ſed nec in priuatis quidem ędificijs, aut vllis locis ſeparatis, huius veſtræ ſuperſtitioſæ amen- *Sup. Cap 15*

amentiæ factiones coëant. Deinde Gratianus Theodosius & Valentinianus I. omnes Eccle- *Suprà c. 16.*
sias volunt hæreticis eripi, neque ijs penitus obtinendarum Ecclesiarum Pontificiumque facultatemque permitti, neque vllum ijs locum ministeriorũ permitti, voluntque arceri à cunctorum hęreticorum congregationibus turbas. Deinde Theodosius solus, non solùm ab vrbibus, sed & ab agris vult expelli, & locum omnem in quo vetita tentẽtur, fisco adiudicari. Denique D. Augustinus cùm gene- *Aug. contra Parm. l. 1.*
ralem sæpiùs Theodosij in hæreticos Legem citet; Aliorũ, inquit, (nempe post Iulianum) Imperatorum iustitiam, Legesque quæ vehementer aduersus eos latæ sunt, quis ignorat? In quibus vna Generalis aduersus omnes qui se Christianos dici volunt, & Ecclesię Catholicæ non communicant, sed in suis separatim conuenticulis congregantur, id continet, vt vel ordinator clerici vel ipse ordinatus denis auri libris mulctẽtur. Locus verò ipse (absque aliqua exceptione aut in vrbibus aut extra) quò impia turba separatim congregatur, redigatur in fiscum. Quare nihil obstat quòd Lex quædã dumtaxat arceri iubeat hęreticos *L. 2. Cod. de Summa Trinitate.*
ab vrbibus; cùm alia Edicta loquátur in genere etiã de agris, vt modò dictũ est. Et proinde si quid legatur de conuenticulis per Arianos

celebratis extra vrbes, nõ tam illis imputandum, quàm Legum contemptui, viuente adhuc Iustina illa Valentiniani matre Ariana, quæ illis patrocinata, etiam audaciam illis addidisse videtur id faciendi; maximè cùm Socrates factum quidem narret, sed nullam consensus Theodosij faciat mentionẽ. Consensum verò nullum ab eo præstitum patet ex Lege illa quã sub finem vitæ edidit 3. Calend. Aprilis, Olibrio & Probino Coss. quæ in genere omnes conuentus interdixit. Excusari verò potest de Ecclesia Nouatianis etiam intra vrbem concessa (vti apud eundem legitur) eo quòd illi fidei Nicenæ subscripsissent, & reliquas hæreses anathematizassent, & proinde non potuerit subtilem eorum errorem à Catholica Religione discernere; vt taceam, quòd vnius Theodosij nimia fortassis indulgentia non debeat trahi in consequentiam. Iam verò Arcadij & Honorij similes Constitutiones suprà etiam allegatæ sunt, quibus vetant tum cœtus illicitos congregari, nec publicè nec priuatim, nec in secreto, nec palam; tum nusquam prophana præcepta vel docere vel discere; tum etiam pœnas constituunt in dominũ possessionis (sine exceptione) in qua damnati conuentus putantur agitati. Theodosius verò Iunior disertis verbis

Socrat. l. 5. cap. 7.

Idẽ l. 5. c. 10

Lege

Lege suprà citata in Nestorianos, Nemo, inquit, etiam quibusdam eorum, habendi concilij gratia in ædibus aut villa, aut suburbano suo aut alio quolibet loco conuenticulum clam aut apertè præbeat. Deinde in Lege illa generali quam cũ Valentiniano III. nominatim etiã in Arianos promulgauit, Nusquam, inquit, in Romano solo conueniendi commorandique habeant potestatem. Et de facto Iouianum hæreticũ, extra muros vrbis Constantinopolitanæ sacrilegos conuentus agentem, contusum plumbo in exilium deportari iussit. Quare neque his obstare potest quòd vnica eorum Lex reperiatur qua solùm conuenticula intra vrbem prohibentur. Martianus denique Imperator ad dictam Legem alludens, extra ipsum Romani Imperij solum vult pelli Eutychianos. Qui omnes quũ suis quisque Legibus etiam extra vrbem conuentus hæreticorũ interdixerint; certè verisimile non est, illis talia conuẽticula permissa fuisse; sed si quæ subinde facta legantur, id hæreticorum peruicaciæ adscribendum: qui cùm numquam cessarent à Catholicorum persecutione; quid mirum si etiam Legibus aduersus se latis nõ obtẽperauerint? Maximè cùm nullam non Legem (Theodoreto teste) audacter & liberè perfringerent, dum suam im-

Suprà c. 18.

Lege penult. Cod. Theod. de hæret.

Suprà c. 19.

Theod. lib. 3 cap. 3.

pietatem ſtabilire molirentur, & fundamentum quo eorum blaſphemia nitebatur, eſſet ſanctarum Legum violatio. Vt prætereá iudicum negligentiam, quam ijdem ipſi Imperatores ſubinde inculcant, atque adeò etiam pœnã in eos ſtatuunt qui negligentiores fuerint, vti ſuprà ſatis comprobatum eſt. Neque verò pro contraria ſententia quicquam facit, quòd tempore Iuſtini I. Imperatoris actũ fuerit de Baſilicis Arianorum adimendis, vt ſuprà dictum eſt, tamquam inde colligi poſſit ad id temporis vſque permiſſos Arianorũ conuentus: quia medio tempore poſt Valentinianum III. imperarunt hæretici Imperatores Baſiliſcus & Anaſtaſius, ac eorundem quoque fautor Zeno, ſaltem ſub vitæ finem: deinde, vt infrà dicetur, Theodoricus Gothus Arianus, Catholicis expulſis, Eccleſias Arianis in Italia tradiderat.

Suprà. c. præcedenti.

Infrà c. 29.

CAPVT XXVII.

Quòd nec hæretici ipſi vllam à ſua diuerſam Religionem in ſuis ditionibus permittere voluerint.

QVum plura hac de re liceret adferre teſtimonia, vnum ſufficiet, ne æquo proliziores ſimus. Quũ à Cõſtantio peteret Athanaſius (vti ſuprà dictũ eſt) vt ſicuti ille petebat Alexan-

Suprà c. 21.

Alexandriæ Arianis concedi, ita viciſſim Catholicis concederet vnam Antiochiæ Eccleſiam; annuere noluit Imperator (teſte Nicephoro) aut ſecundùm alios ſaltē id noluerunt Arianorum capita, metuētes (vti illi ſcribūt) ne ad res nouas adſpirarent, cùm alioqui ſine periculo agere poſſent quæ cōſueuiſſent, maximè cùm non omnem populū ſibi haberent obedientē. Nam, Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, Catholici in choro ſtantes ad finē Pſalmodię adhuc cantabant. Quod ipſum Leontius Arianorū Epiſcopus metu ſeditionis inhibere auſus non eſt, qui interim dixiſſe fertur, niuem eam ſolutam multum luti ſubſecuturum eſſe, ænigmate obſcuriùs (inquit ille) ſignificās, diſſonantiam celebrandi Dei, apud populum aliquando in ſeditionem euaſuram, neque eos qui ſuę factionis eſſent cum reliqua multitudine conſenſuros. Eódē pertinet quod de Valente narrat Theodoretus: Terentius Dux, inquit, cùm ab Armenia ereētis victoriæ trophæis reuertiſſet, Valenſque ei imperaſſet vt domū aliquod pro laboribus peteret, & ille non aurum, non argentū, non agros, non domum, poſtularet, ſed dumtaxat vt vna Eccleſia illis qui ſe in diſcrimen obtuliſſent, pro doctrina Apoſtolica concederetur, Valens nō obſtante promiſſo, accepto libello

Nicephorus l. 9 c. 24. Zozom.

Theodoretus l. 4. c. 28.

supplici, admodum stomachatus illum dilacerauit. Eodem pertinēt quæ mox de persecutione Catholicorū per hæreticos dicemus; quam haud dubiè non alia de causſa factam constat, quàm quòd non ferrent Catholicam Religionem cum sua in vno aliquo Regno, aut Ciuitate; quo factum vt prætextu seditionis Episcopos Catholicos statim calumnijs impetitos in exilium mitti curarint.

Cap. 29.

CAPVT XXVIII.

Multum denique boni ortum ex legibus Imperatorum aduersus hæreticos.

VEl solum Eusebij Cæsarienſis testimonium possit ad huius rei comprobationē sufficere. Ad hunc modū (inquit post narratā generalē illā Constantini Magni in omnes hęreticos Constitutionem) occultę quasi latebræ & receſſus eorum qui alienam ab Ecclesia opinionē tenebant, Imperatorio edicto euoluti patuerunt; bestiæ etiam immanes, qui erant huius impietatis auctores, exactæ. Ex illis verò qui essent istorum impulsu in fraudem & errorem inducti, alij Imperatoris minis perterriti, fallaci & fucata specie in Ecclesiam obrepere cœperunt, temporū conditioni callidè & simulanter cedētes: ac quoniam Lex omniū libros perscrutari iusserat, tādem mani-

Euseb. de vita Constant. l. 3. c. vlt.

manifestò deprehensi fuerunt hi qui vetitas & interdictas illas artes ad hominũ perniciem comparatas confectati essent: alij fortè ad spem quæ in Deo Opt. Max. poni debet, verè & ex animo se trásferre. Quos cùm Ecclesiarum præsides accuratè internoscere studerẽt; alteros ouium pellibus obtectos adumbrata specie se insinuare conantes procul amandarunt: alteros verò qui idem integra & incorrupta mente instituerent, vbi de illis satis exquisitè periculũ fecissent, in multitudinem Catholicorum adscripserunt. Hoc modo cum hæreticis actum: schismaticos verò abiecta omni cunctatione in Ecclesiam receperũt. Hi igitur gregatim tamquam ex colonia reuertentes, suam recuperarunt patriam, & Ecclesiam matrem agnouerunt, à qua diu aberrarant. Solaque Catholica Dei Ecclesia in se coalescens, tum resplenduit, cùm nusquam gentium vel hæreticæ vel schismaticę factionis vestigium reliquũ quidem esset. Eodem pertinet quod suprà adduximus de dicto Ascholij ad Theodosium Imperatorem, cur Occidens omnis in fide conueniret. Certè D. Augustinus multis alijs locis quantũ dictę Leges profuerint, inculcat nos cõpendij gratia vnum atque alterũ dumtaxat adferemus, vbi ea quæ suprà adduximus de mutata eius priori

Sup. cap. 16.

Aug. ep. 48. 50. 129. 166. Lib. 2. Retract. c. 5. & alibi.

priori cõtraria ſententia ſic proſequitur: Quàm
Auguſtinus epiſt. 48. multi, inquit, quod certò ſcimus, volebant eſſe Catholici, manifeſtiſſima veritate cõmoti, & offenſionem ſuorũ reuerendo, quotidie differebant! Quàm multos non veritas, ſed obduratæ cõſuetudinis graue vinculum colligabat, vt in eis cõpleretur diuina ſententia:
Prouerb. 20. Verbis nõ emendabitur ſeruus durus, ſi enim & intellexerit, nõ obediet! Quàm multi propterea putabunt veram Eccleſiam partẽ Donati, quia eos ad cognoſcẽdam veritatem ſecuritas torpidos, faſtidioſos pigroſque faciebat! Quàm multis aditum intrandi obſerabãt rumores maledicorũ, qui neſcio quid aliud nos in altare Dei ponere iactitabant! Quàm multi nihil intereſſe credẽtes in qua quiſque parte Chriſtianus ſit, ideò permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde diſcedere, atque ad Catholicã nemo tranſire cogebat! His omnibus harum Legum terror, quibus promulgandis Reges ſeruiunt Domino in timore, ita profuit, vt nunc alij dicant: Iam hoc volebamus, ſed Deo gratias, qui nobis occaſionem præbuit, iamque faciendi & dilationum morulas amputauit. Alij dicunt: Hoc eſſe verũ iam ſciebamus, ſed neſcio qua conſuetũdine tenebamur: gratias Deo, qui vincula noſtra diſrupit, & nos ad pacis vinculum

tulum transtulit. Alij dicunt: Nesciebamus hic esse veritatem, nec eam discere volebamus, sed nos ad eam cognoscendã metus fecit attentos, quo timuimus ne fortè sine vllis rerum æternarum lucris damno rerum temporalium feriremur: gratias Domino, qui negligentiam nostram stimulo terroris excussit, vt saltem soliciti quæreremus quod securi numquam nosse curauimus. Alij dicunt: Nos falsis rumoribus terrebamur intrare, quos falsos esse nesciremus, nisi intraremus; nec intraremus, nisi cogeremur: gratias Domino qui trepidationem nostram flagello abstulit, expertos docuit, quàm vana & inania de Ecclesia mendax fama iactauerit. Hinc iam credimus & illa falsa esse quæ auctores huius hæresis criminati sunt, quando posteri eorum tam falsa & peiora finxerint. Alij dicunt: Putabamus quidem nihil interesse vbi fidem Christi teneremus, sed gratias Deo qui nos à diuisione collegit, & hic vni Deo cõgruere vt in veritate colatur, ostendit. Et alibi: Quid de illis dicamus, qui nobis quotidie confitẽtur, quòd iam olim volebãt esse Catholici, sed inter eos habitabãt, inter quos & id quod volebãt esse non poterant per infirmitatem timoris, vbi si verum verbum pro Catholica dicerent, & ipsi & domus eorum funditus euerterẽtur? Quis est

Idẽ August. epist. 50.

est tam demens qui neget istis debuisse per iussa Imperialia subueniri, vt de tãto eruerentur malo; dum illi quos timebant, timere coguntur, & eodem timore aut ipsi corriguntur, aut certè cùm se correctos esse confingunt, correctis parcunt, à quibus antea timebantur?

Leo epist. 93 Iam verò D. Leo primus, de Priscillianistis agens, Profuit, inquit, diu ista Legum publicarũ districtio Ecclesiasticæ lenitati: quæ etsi sacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit vltiones; seueris tamen Christianorum Principum Constitutionibus adiuuatur, dum ad spiritale nonnumquam recurrũt remedium qui timent corporale supplicium. Ex quo autẽ multas Prouincias hostilis occupauit irruptio, & executionem Legum tempestates intercluserẽ bellorum: ex quo inter sacerdotes Dei dissimiles cõmeatus & rari cœperunt esse cõuentus, inuenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium subuersionem his malis est mutata quibus debuit esse correcta.

CAPVT XXIX.

Lernam è contrario malorum consecutam ex sectarum licentia.

HÆreseon multiplicationem & Catholicorum seductionem, infinitarum Synodorum

dorum conuocationem,& fidei formularum variationem, Catholicorum persecutionem, & cõtra eosdem dissentiones, seditiones, bella, rerum denique omnium confusionem,ex sectarum licentia ortum suum habuisse,haud difficile est comprobare:ad quod vel illud solum sufficere debeat, quòd vnicus Arianus Presbyter intuitu Constantię sororis Cõstantini Magni in aulam admissus,non modò (vt testantur historiæ Ecclesiasticæ) heram suam seduxerit, Constãtino reuocandi Arij auctor fuerit; sed & libertate postmodũ maiori concessa;Constantium illius filium,eiúsque vxorem ac familiam in errorem suum pellexerit. Vnde pedetentim (inquit Socrates) euagata, primùm inter satellites qui palatiũ frequẽtabant, deinde per multitudinis animos quæ vrbem incolebant, peruasit hæresis. De opinione illa in ipsa Regia cubicularij Imperatoris cum mulierculis digladiabãtur;in singulis vrbis familijs litigiosa disserẽdi pugna fuit. Mali igitur illius contagio ad alias prouincias quoque & ciuitates celeriter permanauit, & controuersia velut scintilla ex paruis admodum initijs orta, audientiũ animos ad discordiam excitauit. Nam cuique causam tumultus scisciranti, ansa statim disceptandi oblata est; & quisque non modò de ea interrogare, verum

Socrat. lib. 1 c. 19. ac l. 2. cap. 2. Zozom. l. 2 c. 26. ac l. 3. c. 1. Niceph. l. 8. c. 47. & l. 9. c. 2.

Zozomenus l. 6. c. 6. Nicephor. l. 11. c. 3.

verumetiam pugnaciter differere voluit. Valens Imperator antea Christianissimus, non modò ad Arianismum, sed & ad persecutionem grauissimá (de qua mox latius) seductus est ab vno Eudoxio Episcopo Ariano, qui illi baptisma administrauerat, consilio Iustinæ vxoris Arianæ. Quæ ipsa & filium Valentinianum eò pertraxit vt Legem acerbissimam ferret in Catholicos, & omnes morte mulctarentur quotquot fidei Arianæ Arimini promulgatæ nō subscriberent; & eidē auctor fuit etiá Catholicos persequendi, donec cōstantiá D. Ambrosij Episcopi, & litteris Theodosij Imperatoris, vti suprà dictum est, ad mentem redijt. Porrò varias illas fidei confessiones & formulas in diuersis Arianorum conuenticulis potiùs quàm Synodis editas reperire est non modò in historijs Ecclesiasticis Socratis, Theodoreti, Zozomeni & Nicephori libris infrà citandis integris, sed multo latiùs apud DD. Hilarium & Athanasiū, qui occasionem primam huius rei recensent: inter cætera, Eusebiani, inquit Athanasius, in Nicęna Synodo ab Ecclesia reiecti, postmodum inuadētes Ecclesias, cœpêre Episcopis, si qui contradicerent, insidias struere, & pro quadraginta submotis hæreticos in Ecclesias inducere, vt si quando Synodos agerent, essent habituri eos sibi

Suprà c. 24.

Hilar. libro de Synodis. Athan Ap. 2 & libro de Synodis.

sibi adstipulatores, quos ob id de industria ad Episcopalem ordinem subuexerant. Deinde (vt in summam prolixissimum tractatú contraham) Coëunt, inquit, Hierosolymis; tale Synodorum exordium fuit, in quo quàm celerimè sua studia, quæ vlteriùs dissimulare nequibant, prodidêre. Siquidem eo ipso quòd dicerent post Athanasij exilium Arium cum suis recipiendum esse, satis indicarunt sese non alia de caussa Athanasio cæterisque Episcopis insidias struxisse, quàm vt Arium reducerent, & hæresin introducerent. Deinde iterum per idem festum Encœniorum templi S. Saluatoris, quum priorú pœnituisset, aliam confessionem ediderũt. Theophemius porrò Episcopus Tyanensis aliam rursus fidem à se cõpositam in præsentia omniũ promulgauit, cui omnes, hominis religione adprobata, subscripserunt. Rursum quasi istorum pœnitẽtia laborarẽt, post triennium iterum in cõfessum veniunt, amandántque Eudoxium Cilicem & cum eo nonnullos ad Italiam secum defetẽtes fidem multis verbis conscriptã, & complurbus præter supetioris adpendicibus instructam. Sed neque in his permanserunt; rursum enim Sirmij aduersus Photinum cõgregati, aliam fidem composuerunt, non ita prolixam, neque tot verbis abundantem, nam

pleriſque detractis alia addiderũt, velut ea per ſuggeſtionem ab alijs audiuiſſent. Iſtis omnibus neglectis, ac veluti melioribus repertis, aliam fidẽ decernunt; & Sirmij etiã in ſcripta referunt Romano ſermone, ſed in Græcum quoque tranſlato. Hæc vbi miſiſſent, denuò ibidem mutata ſententia, compoſuerũt eam fidem, quam quia cum Cõſulibus edidiſſent, multo pudore & probro perfuſi ſunt, eiuſque exemplaria curauere, vt quum ſuo more ſententiam mutaſſent, per Notariũ Martianum furriperentur; & perſuaſõ Conſtantio vt contra eam fidem Edicta promulgaret, aliam rurſum fidem conſtituunt, additis, vt ſolẽt, quibuſdam dictis. Iſauriæ igitur iſta ſcripſerunt. Hæc cum Iſauriæ conſcripſiſſent, Conſtantinopolim profecti, veluti eius ſententiæ pœnitudine laboraſſent, ſuo more immutauerunt, additis nõnullis dictis. Sed ne in iſtis quidem permanſerunt. Nam deſcendentes ex Conſtantinopoli Antiochiam, reuocarunt prorſus quod ſcripſerant. Hucuſque igitur, inquit, progreſſi ſunt in conſtituendis & abrogandis fidei articulis: ſed ne hic quidẽ facto ſuo conſiſtere poterant. Hactenus ille: vbi habes non minus quàm octo vicibus mutatam fidei confeſſionẽ; quæ etſi meritò Catholicos debuiſſent permouere vt confirmarentur in fide

(iuxta

(iuxta quod scribit Hilarius) tamen minis & seductionibus persecutionibusq; multi, præsertim Episcopi, seducti, per illos fuere coacti subscribere. Hinc factū, inquit ille, vt, absque Episcopo Eleusio & paucis cum eo, ex magna parte Asianæ decem Prouinciæ verè Deum nesciant. At verò etiam publicæ auctoritatis professione erumpens hæresis, id quod antea furtim mussitabat, nūc victrix gloriatur. Quibus enim antea cuniculis in Catholicam Ecclesiam non tētauit erūpere? Quas non exoauit fallæ Religionis blandimēto sæculi potestates? Fefellerunt etiam Regem (Valentinianum nempe II.) vt isthusmodi perfidiæ fidem bellis occupatus exponeret, & credendi formam Ecclesijs nōdum regeneratus imponeret. Contradicentes Episcopos ad exsilium coëgerunt; coëgerunt enim nos ad voluntatē exsulandi, dum impietatis imponunt necessitatem. Porrò de persecutione Nouatianorum in Catholicos, videre est D. Cyprianum; qui dicit eos altare contra altare cōstituere, sacerdotū hostes persecutionē Episcopis mouere, in Ecclesia contra Ecclesiam surgere, gladijs denique ac venenis euertere veritatē. De persecutione Arianorū in Catholicos tēpore Cōstantij, exstant, integra epistola D. Athanasij, & libri aliquot Luciferi Episcopi Caralitani

Hilarius l. de Synodis.

Cyprianus epist. 40. 55. 68. & 73.

Athan. epist. ad Solitarios & Apol. 1.

ad Constantiũ, item longissimę historię eiusdẽ enarratio, tum apud Nazianzenũ, tũ apud Socratem, Zozomenum, Theodoretũ, & Nicephorũ libris fere integris: qui adeò etiam varios tumultus & seditiones recensent. Eodem pertinent quæ latissimè libris tantũ non integris describũtur de persecutione Catholicorum ab Arianis sub Iuliano Apostata Valẽte Imperatoribus ac Iustina Imperatrice, ab ijsdem qui suprà cõmemorati sunt, Socrate, Theodoreto, Zozomeno, & Nicephoro. Iam verò quanta Gothi in Italia Ariani in Catholicos cõmiserint, testatur Synmachi, Boëtij, imò D. Ioannis primi Põtificis Romani iussu Theoderici apud Rauennam in carcere interitus: denique libri tres Victoris Vticensis de persecutione Vandalorum sub Genserico & Hunnerico; quibus multo pluribus recensendis nõ modò tempus sed & charta vix queat sufficere: quare ad fontes ipsos, vti & ad libellum Claudij de Sainctes, *Des saccagements des Eglises*, lectorem curiosum remittimus. Hoc vnum addam, quòd conqueratur Victor, per annos sexaginta hanc perdurasse persecutionẽ, & quòd inter cætera Hunnericus Episcopos, ptesbyteros, diaconos, aliaque Ecclesiæ membra ad 4966. ex Africa ad exilium destinauerit. Crudelissima etiam Donatistarum

Naziãz. in vita Athan. Socrat. l. 2. Zozom. l. 3. & 4. Theodor. l. 2. Niceph. l. 9. Athan. Ap. 2 & ad Solit. Socrat. l. 3. 4 & 5. Theod. l. 3 4 Zozom. l. 5. 6. & 7. Nicephorus l. 10. & 11

Paulus Diac. histor. Vict. Vticẽs. l. 2. de Pers. Vand.

Idẽ Vict. l. 2.

nistarum scelera & contumelias latissimè describit Optatus Mileuitanus. Primùm quæ perpetrata sunt post cõcessam à Iuliano ad pacẽ disturbandá libertatẽ, tum in Basilicas, altaria & Diaconos, Sacerdotes, Episcopos, Sãctimoniales ac plebem Catholicá, tum in diuina Eucharistię & Chrismatis sacramenta. Deinde quæ à Circumcellionibus iam antea contigerant sub Constante Imperatore martyria, qui ne sepulturam quidem Catholicis permisere. Quæ ipsa omnia sæpissimè etiam repetuntur à D. Augustino vbi contra Donatistas agit, quibus insuper addit sæuitię exempla ab ijsdem Circumcellionibus edita quamplurima, & nominatim in eos qui ad Catholicam transissent ex parte Donati, non solùm laicos vel clericos, sed etiam Episcopos; quorũ quibusdá oculi sunt exstincti, alijs manus & lingua præcisa, nõnulli etiá trucidati; vsqueadeò vt vix vlla via tuta esset à latrocinijs. Cęterùm & dissensiones Episcoporũ & populi seditiones ijsdẽ ipsis locis tã late describũt dictę historiæ, & Euagrius quoque, vt repetitione non sit opus. Ad bella veniendũ, quæ vbi libertate superiores euaserũt, etiá Principibus à Deo datis inferre non sunt veriti. Huc pertinet primùm quòd Gaina duce Scythę seu Gothi Ariani qui Istrum incolebant, amne

Optat. cõtra Parm. l. 2.

Ibidem l. 3.

Aug. ep. 48. 50. 68. 160. 162. 164. 166. 167. & 23.

Item l. adu. Parm. Petil. & Cresc. Gramm.

Euagrius per totã suã hist.

Nicephorus l. 13. c. 5. cum glacie constrictus esset (vti tradit Nicephorus) transito, confestim in ditionem Romanam irruperũt, & Thraciam omnem peruagati, Europâ diripuerũt. Qui Gainas etiam postquam ad Romanum Imperatorem Arcadium confugit, Trigibildo administratione Phrygiæ concessa, vrbes circa Phrygiã & Natoliam, hoc est, vniuersam ad Orientem regionem, vastari, & cædem multã fieri iussit; imò tandem etiam ad Chalcedonem, quæ ex aduerso est Constantinopoli, castra metatus est; vsque adeò vt cum eo Arcadius pacem componere sit coactus. Itẽ, teste Prospero, similis eorundem paulo pòst Radaguiso duce in Tusciam expeditio, donec à Stilicone superati sunt; & paulo pòst Romæ captę à Gotthis per Halueium miseranda calamitas, quę causſam dedit vt Walliæ Gotthorũ duci pòst Athaulphum Aquitania cum confinijs ad inhabitandum cõcessa sit. Inde Vandali vlteriùs effusi, non modò Hipponam iam moriente D. Augustino, sed & totam Africam bello & cædibus peruagati sunt, donec eadem quoque illis ad inhabitandũ à Theodosio & Valentiniano Iunioribus concessa est ad triennũ: quo tempore contigerunt quarum suprà meminimus persecutiones Catholicorum: & tandẽ etiam Carthaginem captam dolo pacis, Genserico

Prosper in append. chron. Eusebij.

duce

dece, inuaserunt & expilarunt: è quo loco etiam Siciliã grauiter affligere non metuit; donec tandem Hunis quoque Thraciam & Illyricum sæua depopulatione vastantibus, pax cũ eo cõfirmata est, & certis spacijs Africa inter vtrumque diuisa. Iam verò quis ignorat Attilę Hunnorum Regis qui inde Flagellum Dei appellatus est, audaciam, qua vniuersam Europã ad Romanæ vsq; Vrbis mœnia depopulatus est? quis sine lacrimis cõmemorat secundã Romæ captiuitatẽ sub Gẽserico? numquid & Odoacer ipse quoq; Arianus Turlingorũ & Herulorũ maximis copijs Italiã non occupauit & quatuordecim possedit annos? & deinde à Zenone cõtra Odoacrũ accersitus Theodoricus (de quo suprà) Rauenna per insidias capta, contra Imperatoris voluntatem ipse, suique successores, Italiã seueriori iugo per annos 70. possedit: eorumque de numero Totilas ciuitates Italię multas cladibus direptionibusque afflixit, & vrbem Romam diripuit, incendit, & parte murorum euersa, ciuibus variè iactatis, desolatam penitus sine vllo habitatore reliquit; donec tandem Iustiniani Imperatoris auctoritate à Narsete Italia pulsi sunt. Denique etiam post annos nõ plures 17. iterum Longobardi eiusdem factionis homines Albuino duce per Syrmium Italiam

Chronographi qui deinceps scripserunt.

ingressi, eandem retinuerunt per annos 204. ad tẽpora vsque Caroli Magni, qui eos iussu Stephani II. Romani Pontificis inde expulit. Quid quòd etiam intermedio tempore, non ita multo pòst, Imperante Heraclio, Mahumetus primus ille Antichristus, multos Asiæ & Africæ populos cõmouit, quos noua Religione, partim ex Ariana & Nestoriana perfidia, partim ex Catholica Religione in monstrum quoddam cõflata, imbuens, Saracenos vocari præcepit, qui etsi omnium rerum confusionem in orbem Christianum sua ac Turchorum impietate introduxerit, potissimùm hac ratione suos ad hũc vsque diem in officio continet, quòd libertatem illis de Religione disputãdi ademerit, multo minùs varias Religiones (excepta sola Catholica, Deo sic disponente) in suo permittat Imperio.

CAPVT XXX.

Quòdque punitio diuina inuaserit non modò Principes qui licentiam sectis dederunt, sed & Respublicas in quibus libertas cõcessa est.

Theod. l. 2. c. 31. Niceph. l. 9. c. 50 ac l. 10 c. 1. Socrates. Zozomenus.

QVum alij historici Socrates & Zozomenus ipsas à Deo inflictas pœnas recenseant; Theodoretus, & post eum Nicephorus, etiam causſam disertis verbis plerumque adijciũt. Et primũ de Cõstantio: Per id tempus (inquit)

(inquit) cùm accepiſſet, Iulianum quem Cęſarē totius Europæ declarauerat, res magnas per ſeductionē moliri, & contra eum qui tantum illi honoris detulerat, exercitum cogere; decedit de Syria, & in Cilicia (nempe præ nimia ſolicitudine, alijs teſtibus, in apoplexiam delapſus) ſupremum vitæ diem obijt. Nam quoniam paternę pietatis hæreditatem neutiquam ſeruabat integram, idcirco adiutore quē pater illi conſtituerat, omnino deſtitutus fuit, & ob eam cauſſam ſe fidem mutaſſe graviter & acerbè lamentatus eſt. Trium enim illum pœnituiſſe, etſi iā ſeriùs, teſtatur etiam D. Nazianzenus; nempe Iuliani in Cæſarem electi, D. Athanaſij in exiliū miſſi, & mutatæ Religionis. Certè Iuliani quoque tyranni temeritatem, qui libertatem hæreticis & ethnicis cōceſſerat, mors eius, inquit Theodoretus, apertiſſimè declarat. Nā cùm in Perſidē traiecisſet bello eos impetiturus, ex improuiſo telo quodam vulnèratus, ſimul ac plagam acceperat, manu impleta ſanguine, eandem in aērem proijciens exclamauit: Viciſti Galilęe (ita Chriſtū blaſphemans appellabat) ac paulo pòſt exſpirauit. Neque verò quis debitā illi eam plagam impoſuerit, vmquam ab aliquo pro certo compertum eſt: verùm ſiue homo (inquit) ſiue angelus, conſtat ſanè, eum qui

Nazianz. in vita Diui Athan. & apud Nicephor. priori loco.

Theodoretus l. 3. c. 20.

Niceph. l. 10 cap. 34.

Theodoretus l.4.c.28. Niceph.l.11 cap.49. vulnus inflixit, diuinæ voluntatis administrũ fuisse. Iam de Valentis temporibus idem scribit in hæc verba: Ecclesijs, inquit, etiam alijs quibusdam rationibus benignus Dominus prouidit. Nam gentem Gotthicam excitauit ad bellum, eo quidem consilio, vti Valentem qui contrà pios solos prælio decertare didicerat, in Bosphorum pertraheret. Itaque stultus ille tandem sua ipsius intellecta imbecillitate, litteras scripsit ad fratrem Valentinianũ, quibus exercitum ab eo postulauit. Ad quem rescripsit frater, nefas esse homini bellũ gerenti cum Deo, opem ferre, cuius temeritas meritò coercenda esset. Quo responso etsi miser ille graniter diuexaretur; non tamẽ destitit abaudacia, sed ad acie instruendã toto animo perrexit incumbere: spretis deinde optimis consiliarijs Terẽtio ac Traiano ducibus, & Isaaco monacho ac Bretanioę Episcopo, qui à cõflictu illum dehortabantur, quòd destitueretur Dei auxilio qui aduersus Deũ bella gesserat, exercitũ in expeditionem misit: ipse in pago quodam cõmoratus, belli euẽtum seu victoriã potiùs exspectabat. Cęterùm milites eius Barbarorum impetum nequaquã sustinẽtes, cùm terga darẽt, in fuga Barbaris summa eos celeritate persequentibus, trucidabãtur. Barbari pagum in quo Valens accepto de clade nuntio

Ibidem 29. 30. 31.

Niceph.l.11 c. 50.

nuncio deliteſcere conabatur, ingredientes igni iniecto illum ipſum pietatis hoſtem vnà cum pago concremarunt. Hoc igitur modo impius ille tyrannus etiam in hac vita dignas ſuis ſceleribus pœnas dedit. Quid? quòd Basilicus etiam tyrannus diuina vindicta ſuis à ducibus proditus, in manus Zenonis Imperatoris traditus & in Cappadociã miſſus, in diuerſorio quodam militari cum vxore & liberis eſt interfectus? Hactenus de Imperatoribus, de quibus quòd hæreſibus locũ dederunt, Deo vindicante, ſumptum eſt ſupplicium: nam de rebuſpublicis quantis cladibus ſint affectæ, apud Nicephorum eſt videre. Primùm quo tempore in gratiam Arianorum varias Synodos ſuprà dictas Conſtãtius Imperator Arianus indixit, Nicomediæ, vbi Synodus erat coacta, terræ motus, vti ipſe ſcribit, ingens exortus vrbem ſimul & templum admodũ nuper conſtructũ ex fundamentis ipſis cõcuſſit atque dejecit, multoſque interemit. Fama quoque Nicæam & Conſtantinopolim & Cerinthũ, totiúſque Thraciæ ciuitates tali caſu euerſas eſſe diuulgauerat. Dubium nõ eſt, neſcio cui, qui tum Nicomediæ in turri præalta, quæ immota & ſtabilis permanſit, pietati ſtudẽs philoſophabatur, cladem eam diuina viſione reuelatam, ab eoque ex turri digreſſo, omni

Nicephor. l. 16. c. 8.

Nicephorus l. 10. c. 31.

Niceph. l. 9. cap. 39.

omni clero populoque fuisse prædictam: sed tantum abest, vt fides illi sit adhibita, vt etiam fuerit derisus; multi sanè mortales cum ruina ædificiorũ interierunt. etenim incẽdij flãma, ex furnis & balneis, officinisque artificũ qui ad ignẽ opus faciunt, coorta, & ruderibus decidentium culminum circũcluſa, materiaque proxima & sarmẽtis, vt fieri solet, eiadmixtis, tabulisque resinam exsudantibus & ad cõcipiendum propagandumque ignẽ commodis aucta, tãti alimẽti copia in partes omnes proserpẽs, & ad seipsam recurrens, veluti vnũ (vt ita dicam) ardentẽ rogum vrbem ipsam effecerat. Toto deinde Imperij Iuliani tẽpore iratus Deus, varias calamitates, & innumera mala, Romanorũ ditioni immisit. Siquidem terra ingẽti motu cõcussa effecit vt neque in domibus homines tutò manerẽt, neque sub dio satis securè versarẽtur. Sub ipsius quoque Imperio decantatissima illa vrbi Alexãdrinæ accidit calamitas: cùm mare vehementi æstu cõcitatum & vltra fines suos progressum, ita diluuio aridã & cõtinentem terrã inundauit, vt eo in locum suum regresso, in tectorum tegulis scaphæ marinæ sint repertæ. Siccitates etiam intensæ eo imperante cùm fruges exstinxerunt, tum aërem quoque pestiferũ reddiderunt: quapropter hominibus rerũ inopia

pressis

preſſis fames admodum excreuit: adeò vt homines ad inſolitas prorſus vitæ agendæ rationes, & ad irrationalium animaliũ alimẽta ſint conuerſi. Famem excepit peſtilentia, quæ corpora infeſtauit, & varios morbos progenuit, quibus plurimi mortales interiêre.

Iam verò de Valentis Ariani tẽporibus ſic idem Nicephorus ſcriptum reliquit: Poſt bellum aduerſus Procopium geſtũ grando maxima ingentibus lapidibus perſimilis decidit, & motus terræ graues varijs in locis exſtitêre, qui præ alijs locis maximum Nicææ Bythiniorum vrbi, dum omnino proſternitur, damnum dederũt. Duodecimus hic erat annus à Nicomedienſi ſubuerſione. Nec multum interceſſit temporis dum alius terræmotus exortus idem Seruiæ Helleſponti ciuitati fecit. Quid? quòd huius calamitatis cauſſam hanc ſubiungit: Grandinem, inquit, hanc & terræ motus multi mortales Dei aduerſus Imperatorem ira accidiſſe dixerunt, propterea quòd multos ad Epiſcopalem dignitatem euectos in exilium miſerat; alios autem mox interemturus fuerat, qui Eudoxio in fidei ſentẽtia non ſuffragarentur. Nicephorus lib. 11. c. 5.

EPI-

EPILOGVS.

PRoinde si Reipublicæ benè constitutæ præfectos non moueant diuini atque humani iuris interdicta; saltem deterreri debere tristissimis iam dictis cõcessæ libertatis exemplis alijsque recentioribus in Germanijs, Anglia, Scotia, Gallijs, & nostro hoc miserrimo Belgio funestissimis euẽtibus. Pluries certè tentatum est motus nostros componere aliqua hæreticorum tolerantia: sed humanâ prudẽtiâ nos delusos serò nimis persensimus, ex euentu Pacificationis Gandensis, quæ tantę fuit exspectationis, vt etiã sua Maiestas illam subsignarit. Sed quid inde Resp. acceperit beneficij, proh dolor, etiamnũ hodie experimur. Quid Religionis hæreticæ libertas concessa Hollandis, Zelandis & socijs conjuratis, nobis attulit, quàm quod ab illis hactenus extrema omnia passi sumus? Nimirum iusto Dei iudicio, illa est merces eorum, qui ad humana præsidia confugiunt, & fœdera cum illis ineunt quos deuitare iubemur, & cum quibus communicatio omni iure interdicta est. Sed hic fortè roget quis, an omnino & vniuersaliter hoc constituã, quòd nulla ex causa hæretici à Principe Catholico in vrbe Catholica sibi subiecta tolerãdi sint. Et ex his quæ hactenus deducta sunt, omnino conuinci existimo, exercitium Religionis cõtrariæ admittendum non esse, quòd nimirum iram Dei prouocat, & præterea hoc, quòd Catholicos qui cum illis versantur, vindictę diuinæ

diuinæ periculis exponit, parit contemptũ veræ Religionis; à qua hæreticorũ ritus, præsertim qui Caluini dogma sequuntur, tantum dissident, vt Sacramẽta quę in nostra Religione sunt precipua, idolatriam dicant & sentiant. At si tantùm de tolerantia habitationis quęratur, aliorũ quibus ob rerum publicarum experientiam & antiquitatis omnis exactiorem cognitionẽ, cedi par est, libenter iudicio cõmitto. Hoc interim dicam, Principibus omnibus Christianis omni studio elaborãdum, ne etiam cohabitatio eiusmodi hominum admittatur. Et vbi quid indulgendũ sit, ratio semper exacta habeatur, an Religioni, Ecclesię & Reipublicæ quid vicè mutua accedat, quod maioris sit momẽti, & plus prodesse possit. Ita tamẽ vt existimẽ ob rationes tãtùm ciuiles seu politicas veluti compendium alicuius oppidi aut prouinciæ, aut ob commerciorum vberiorem quęstum, aut ędificiorum amplificationem, aut prouentus meliores, illam admitti nec posse nec debere, tam ob periculum excõmunicationis, & contemptũ Magistratus secularis & Ecclesiastici, qui inde consequitur, quàm certissimùm discrimen corruptelæ bonorum ciuium, quibus difficile est picem tangere & non coinquinari, præsertim ab ijs qui toti in hoc sunt, vt errores suos diffundant tam in proprios liberos quàm conciues. Omnia tamen saluo iudicio Ecclesiæ & melius sentientium arbitrio.

FINIS.

APPROBATIO.

Hæc de diuersis non admittendis Religionibus docta sunt ac solida, quæque ab omnibus profundè considerari debeant. Dignaque vt prælo committantur. Datum Antuerpiæ xiij. Calendis Februarij, Anno M. D. LXXXIX.

Siluester Pardo, Sacræ Theologiæ Licentiatus, Cathedr. Eccles. Antuerp. Canonicus, librorumque Censor.

SVMMA PRIVILEGII

PHILIPPI II. Hispaniarum, &c. Regis Priuilegio cautum est, ne quis citra sui Architypographi Christophori Plantini consensum intra annos sex, *Iacobi Pamelij, Audomarensis Archidiaconi, De Religionibus diuersis in vno aliquo vnius Regni, Monarchia, Prouincia, Ditionis, Reipublicæ, aut Ciuitatis loco non admittendis; ad Ordines Belgij Relationem*, vllo modo excudat, aut alibi excusam in dicti Regis ditionibus venalem exponat. Qui secus faxit, & confiscatione librorum, & arbitraria insuper pœna multabitur: prout latiùs patet in literis Datis Bruxellæ XVI. Februarij, Anno M. D. LXXXIX. *Froissart* 1ª.

Signat.

Berti.